

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,  
Quinctum fratrem

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm V Pavlli  
Manvtii Commentariis

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)





IN EPISTOLARVM  
M. TVLLII. CICERONIS

A D

T. POMPONIVM. ATTICVM

LIBRVM. V.

PAVLLI. MANVTII  
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico.

1.



Go uero & tuum in discessu uidi animum, & meo sum ipse testis: quo magis erit tibi uidentum, ne quid noui decerneratur, ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annum. De Annio Saturnino curasli probe. De satisfando uero te rogo, quoad eris Romae, tu ut satisfacis. & sunt aliquot satisfactiones secundum mancipium, in his & Memmianorum praediorum, uel Atilianorum. De Oppio factum est, ut uolui, & maxime quod dccc aperuisti: quae quidem ego utique uel uersura facta solui nolo; ne extrema ex alio nostrorum nominum expectetur. Nunc uenio ad transuersum illum extremae epistolae tuae uersiculum, in quo me admones de sorore. quae res se sic habet. Ut ueni in Arpinum, cum ad me frater uenisset, in primis nobis sermo, isque multus, de te fuit. ex quo ego ueni ad ea, quae fueramus ego, & tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. nihil tam uidi mite, nihil tam placatum, quam tum meus frater erat in sororem tuam; ut etiam, si qua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. Illo sic die, postridie ex Arpinati profecti sumus. ut in Arcano Quintus maneret, dies fecit: ego Aquini, sed prandimus in Arcano. nosli hunc fundum, quo ut uenimus, humanissime Quintus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego acciuero pueros. nihil

potuit, mihi quidem ut uisum est, dulcius, idque cum uerbis, tum etiam animo, & uultu. at illa, audientibus nobis, Ego sum, inquit, hic hospita. id autem ex eo, ut opinor, quod antecesserat Staius, ut prandium nobis uideret. tum Quintus, En, inquit mihi, haec ego patior quotidie. dices, Quid, quaeso, istuc erat? magnum, itaque me ipsum commouerat: sic absurde, & aspere uerbis, uultuque, responderat. dissimulauit dolens. discubimus omnes praeter illam: cui tamen Quintus de mensa misit; illa reiecit. quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi uisum est, & multa praeter eo, quae tum mihi maiore stomacho, quam ipsi Quinto, fuerunt. ego inde Aquinum, Quintus in Arcano remansit, & Aquinum ad me postridie mane uenit, mihi que narrauit, nec secum illam dormire uoluisse, & cum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego uidiissem. quid quaeris? uel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei, meo iudicio, illo die defuisse. Haec ad te scripsi fortasse pluribus, quam necesse fuit, ut uideres, tuas quoque esse partes insituenti, & monendi. Reliquum est, ut ante, quam proficiscare, mandata nostra exhaurias, scribas ad me omnia, Pontinium extrudas. cum profectus eris, cures, ut sciam, sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius esse, nec suauius. A. Torquatum amantissime dimisi Minturnis, optimum uirum: cui, me ad te scripsisse aliquid, in sermone significes uelim. Vale.

EXPLANA



## EXPLANATIO

**I**BAT Cicero proconsul, cum annuo imperio, in Ciliciam prouinciam, & senatus consulto, & lege curiata datam, Sulpicio, & Marcello eos. Ac de tota Ciliciensi prouincia, locus postulat, ut paullo uberius agatur. nam, etsi prouinciam suam Cicero Ciliciam appellat, scire tamen oportet, primum non omnem Ciliciam Romanis, sed partem quandam regebis subiectam fuisse; quam Vespasianus, ut ait Suetonius, in prouincia formam redegit: deinde, ad Ciceronis imperium sex praeterea dioeceses pertinuisse, primum tres, Ciliciae proconsulibus, aut propraetoribus cum Cilicia attributas, Pamphyliam, quae Ciliciam attingebat, Lycaoniam, & Phrygiae maioris partem ultra Maeandrum; eum eius altera pars citra Maeandrum, ab eo, qui Asiae praecerat, administraretur; deinde, tres alteras, Laodiceam, Cibyrum, Apameam: quas ipse uocat *διοικησεις* Asiaticas in epistola ad Seruilium, lib. 13. fam. Ex prouincia, inquit, mea Ciliciensi, cui scis *τρεῖς διοικησεις* Asiaticas esse attributas, nullo sum familiaris usus, quam Androne Laodicensi. Quibus uerbis constat, ex tribus dioecesibus Asiaticis Laodiceam unam fuisse; quae postea, ex pristino more, ad imperium Seruiliij, Asiam regentis, translata est. nam, Asiae Seruilium praefuisse, indicat idem in alia ad eundem epistola his uerbis: Si tibi utilius est, idest gloriosius, Asiae praeesse, & istam partem reip. male affectam tueri. Septem igitur omnino dioeceses complectebatur prouincia Ciceronis, Ciliciam ipsam, unde tota administratio nomen accipiebat, Pamphyliam, Lycaoniam, Phrygiae maioris partem ultra Maeandrum; tres praeterea, Laodiceam, Cibyrum, Apameam, ipsas quoque Phrygiae maioris partes, sed citra Maeandrum, quae ideo Asiaticae uocabantur, quod antea in Asiae administrationem includebantur. Et, quoniam de Cilicia satis constat, reliquarum exempla, ne qua superstiti dubitatio, ex ipso Cicerone proferemus. De Pamphylia igitur in epistola 21. huius libri, ubi Pamphylium forum nominatur, & l. 1. de Diuin. De Lycaonia in eadem epistola, cum Isauricum forum appellatur. Isaurum enim in Lycaonia Strabo lib. 12. constituit. De eadem aperte in ep. 15. huius libri, & ep. 10. ad Appium, lib. 3. fam. De Phrygia in epist. 21. huius libri, nam, ad forum Synnadenae Phryges conuenisse, inde cōijcio, quod Synnadem in Phrygia maiore ultra Maeandrum ueteres Geographi ponunt, & ep. 1. l. 7. & 10. l. 11. fam. De Cibyra ep. 21. huius libri, ubi mentio fit fori Cibyratici. De Apamea ibidem, & ep. 16. 20. & lib. 3. fam. & alibi. Ne quis autem plures, quam septem, in Ciceronis prouincia fuisse dioeceses arbitretur, ipsius uerba recitabo, ex ep. 21. huius libri. Idibus Febr. forum institueram agere Laodiceae, Cibyraticum, & Apamenae: ex Id. Mart. ibidem Synnadenae, Pamphylium, Isauricum: ex Id. Maij in Ciliciam. Ex hoc loco septem fora constant, Laodicense primum, Cibyraticum, Apamenae, Synnadenae, Pamphylium, Isauricum, Ciliciense, quamquam Ciliciense non, ut reliqua, actum est Laodiceae, sed in Cilicia, quo se iturum scribit post Idus Maij, & ep. 2. lib. 6. idem confirmat his uerbis: Hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceae ad kal. Maij, omnium dioecesium, praeter Ciliciae. Nec uero dubitandum est, quin forum etiam egerit in Cilicia, quo se peruenisse ep. 4. l. 6. significat. Idemq. de celeberrima urbe Laodicea credendum est, praesertim cum in ea reliquarum dioecesium forum egerit, ipsaq. inter tres Asiaticas dioeceses una nominetur in ep. ad Seruilium, lib. 13. fam. Quod enim ait Plinius l. 5. ad iurisdictionem Cibyraticam Laodicenses conuenisse; consuetudinem sui temporis ostendit, omnium patet rerum mutatione facta. nam, si Laodiceam ad forum Cibyraticum adiungimus; quatenus erunt tres dioeceses Asiaticae? non. n. de Pamphylia, aut Lycaonia, aut Phrygiae maioris parte trans Maeandrum, in qua Synnadem urbem fuisse diximus, licet suspicari. nam & Lycaoniam, & Phrygiam trans Maeandrum ad Ciliciae administrationem pertinuisse, iam ostendimus. Pamphyliam uero ideo non fuisse inter Asiaticas dioeceses constat, quod eam P. Seruilius Isauricus cum Cilicia, & Pisidia, & Phrygia trans Maeandrum ad populi R. ditionem adiunxit, multis annis post Asiam ab Attalo rege Romanis legatam, ideo semper eas nationes unus rexerat, tamquam unam prouinciam. Asia uero, quae Attali fuerat, modo tota a propraetoribus, aut proconsulibus Romanis est administrata, ut a P. Seruilio, Isaurici, quem proxime nominauimus, filio: cuius in prouincia Laodiceam fuisse, iam significauimus: & opinor, a Q. Cicerone, a quo Ephesum, & Apameam simul cum reliqua Asia gubernatas esse constat: modo non tota, sed ademptis tribus dioecesibus, Ciliciensi prouinciae attributis. Quaestio superest de Pisidia, & Cypro insula, quae ad Ciceronis imperium ipsae quoque pertinent, nec tamen inter dioeceses nominantur: de quibus utrisque dicam, quod sentio. Propriam non fuisse Pisidiae dioecesim, sed cum Pamphylia coniunctam, existimo, eo quidem magis, quod Pisidiae pars libera erat. In quam sententiam illa me uerba ep. 5. l. 6. adduxerunt: Exercitum infirmum habebam, auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum, certe enim non subiecti Ciceronis imperio Pisidae, cum inter auxiliares numerentur. alteram uero Pisidiae partem ut a Cicerone administratam putem, commoueor ijs uerbis libri. 1. de Diuin. Cilicium, & Pisidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi. Cyprum uero Ciceroni, & ante eum Appio, ac Lentulo attributam fuisse, cognoscitur ex epistola prima lib. 6. & ep. 7. l. 4. fam. cuius insulae incolas ad aliarum dioecesium fora non licebat euocari: sed eo mittebat aliquem de sua cohorte, is, qui Ciliciam regebat. hoc ab ipso Cicerone didici, qui epistola ultima huius libri, Q. Volusium, inquit, misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset; ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprum non liceat. Cyprus uero lege P. Clodij tribuni pl. Pisone, & Gabinio cos. Ptolemaeo regi ablata, prouincia praetoria, ut ait Strabo l. 14. facta est: & in eam



eam M. Cato missus, quaestor cum iure praetorio, ut l. 2. tradidit Velleius: postea Ciliciae proconsulibus, Lentulo, Appio, Cicero tradita: postremo a quaestoribus uidetur administrata: ut ep. 48. l. 13. fam. IN DISCESSU ꝛ cum a tuo complexu in Tusciano diuulsus sum, in prouinciam Ciliciam proficiscens. Nā quid noui ꝛ ne prorogetur annuum prouinciae tempus: quod esset nouum, & inusitatu. DESIDERIVM ꝛ urbis, & meorum. SATISDACTIONES secundum mancipium, ꝛ puto eas esse, quae de rebus mancipio emptis, pretio nondum soluto, fiant, nam, etsi mancipia uenditor possidet ab emptore data, quia tamen ea possunt fieri deteriora, ut deinde eiusmodi non inueniantur, qualia emptor promiserit; satisfactionem secundum mancipium uenditor quaerit, ut sibi de mancipijs caueatur. PRAEDTORVM ꝛ pro quib. Memius, & Atilius cum ab emptoribus mancipia accepissent, satisfactione praeterea de mancipiorum probitate, & fructu sibi cauere uoluerunt. DE OPPIO ꝛ Cicero Caesari debebat HS DCCC, idest aureorum nonginti quattuor millia, exigebat Oppius absentis Caesaris nomine, cuius inter amicos praecipuum locum obtinuit. ep. 4. & l. 6. fam. ep. 8. APERVISTI ꝛ exposuisti, ostendisti te daturum, si urgeret. ep. 4. VERSURA facta ꝛ uersuram facit, qui, uetus ut aes alienum soluat, nouum contrahit, fit. n. conuersio quaedam, & mutatio creditoris. NOSTRORVM nominum ꝛ pecuniae mihi ab alijs debita, cuius exactionem si expectare uellem, sine uersura DCCC solueretur. TRANSVERSVM uersiculum ꝛ cum pagina, uersibus recto ordine subsequentiibus completa, nihil ultra capit; tum, si quid eiusmodi superest, quod multorum uerborum non sit, scribere solemus de transuerso. DE SORORE ꝛ tua, Quincti fratris uxore. EGO, & TU ꝛ ut inter fratrem meum, & sororem tuam uterque gratiam componeremus. DIES fecit ꝛ non dies in uesperum iam uergens, (nam & Marcum fratrem eadem causa in Arcano retinisset) sed dies festus Arcani pagi, quae sibi Quinctus in suo fundo celebrandum putauit. MULIERES, ꝛ Terentiam, & Tulliolam, quae Cicero nondum prosequabantur. PVEROS ꝛ Quinctum filium, & Marcum, fratris filium. HOSPITIA ꝛ itaq. inuitandi partes meae non sunt. STATIVS ꝛ libertus Quincti, gratiosissimus apud eum, ideoq. uxori odiosus. VIDERET ꝛ pararet, curaret, ut alibi. Sic & Graeci loquuntur, nam Theocritus ἐν τῷ ἐιδ. 16, ὄρνιθ' ἰσθ' ἔνυξ αὐτῆς. Quid quaeso, istuc erat? magnum, itaque me ipsum commouerat. ꝛ plane, & dilucide: ueteres tamen libri aliter, & hic, & in alijs locis, ubi nos ex ingenio, Quaeso, pro Quasi, reposuimus. ut in Oratore, Quem, quaeso, nostrum fecellit ita nos esse facturos? & in Bruto: Quid, Quaeso, nos aliud fugimus? & in ep. ad Hirium, apud Nonium: Dicis, quid, quaeso, istuc intererat? nescio: nisi tamen erat mihi iucundum. Hic quidem, & in antiquo libro, & in omnib. ante nostram correctionem impressis ita legitur, ac distinguitur: Dices, quid? quasi istuc erat magnū, quod ita sententiam perturbat, ac dissoluit, ut probari non possit. de nostra coniectura docti homines iudicent, quā ab antiquis libris dissentire, ingenue fatemur: nec tamē eo minus arridet: quippe cum in oratione pro Roscio Am. scriptū uideamus: Quid, quaeso, eius intererat? quae sunt eadem uerba in ep. ad Hirium, de qua mentionem fecimus. DISCVBVMVS omnes, praeter illam: ꝛ ergo mulieres quoq. discubebant. Valerius Max. l. 2. c. 1. Tacitus l. 4. ANTEQVAM proficiscare ꝛ in Epirum. PONTINIUM ꝛ legatum meum. Quattuor legatos habuit Cicero in Ciliciensi administratione, C. Pontinium, M. Anneium, L. Tullium, Ciceronem fratrem. fam. ep. 4. l. 15.

Cicero S. D. Attico. 2.

AD VI. id. Mai. cum has dabam litteras, ex Pompeiano proficiscabar, ut eo die manerem in Treculano apud Pontium. deinde cogitabam sine ulla mora iusta itinera facere. In Cumanis cum essem, uenit ad me, quod mihi per gratum fuit, noster Hortensius: cui, deponenti mea mandata, cetera uniuerse mandauit, illud proprie, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis prouincias. in quo eum tu uelim confirmes, gratumque mihi fecisse dicas, quod & uenerit ad me, & hoc mihi, praeterea q. si quid opus esset, promiserit. confirmaui ad eam causam etiam Furnium nostrum; quem ad annum tribunum pl. uidebam fore. Habuimus in Cumanis quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo; cum interim Rufio noster, quod se a Vestorio obseruari uidebat, stratagemate hominem percussit: nam ad me non accessit. ita ne? cum Hortensius ueniret, & infirmus, & tam longe Hortensius, cum maxima praeterea multitudo, ille non uenit? non, inquam, non uidisti igitur

hominem? inquit, qui potui non uidere, cum per emptorium Puteolanorum iter facerem? in quo illum, agentem aliquid, credo, salutauit; post etiam iussit ualere, cum me e Pansae uilla, num quid uellem, rogasset. hunc hominem parum gratum quisquam putet? aut non in eo ipso laudandum, quod audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare, mihi aliam consolationem esse huius ingentis molestiae, nisi quod spero non longiorem annua fore. hoc me ita uelle multi non credunt, ex consuetudine aliorum. tu, qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, cum id agi debet. cum ex Epiro redieris, de rep. scribas ad me uelim, si quid erit, quod operari. non dum enim satis huc erat allatum, quo modo Caesar ferret de auctoritate perscripta: eratq. rumor de transpadanis, eos iussos IV. uiros creare. quod si ita est, magnos motus timeo: sed aliquid ex Pompeio sciam. Vale.

## EXPLANATIO

IVSTA itinera ꝛ non, ut adhuc, interrupta, aut inaequalia, sed quantum procedi quotidie possent, quantum iustis, i. lais longis itineribus possem. MEA mandata, ꝛ ut mandarem, si quid eum, me absente, curare uellem. NOBIS prouincias, ꝛ nobis, qui prouincias administramus. ἡγεμῶνας de prouinciarum rectoribus dixit. Q. nam



nam ipse unam habuit provinciam Ciliciam, aut, Prouincias, quia simul habuit Cyprum, & dioceses res Asiaticas, Pamphyliam, Lycaoniam, Itauriam, tutelam regis Cappadociae. Ad annum & sic locutus est libro III. de oratore; Ut tibi Caesar faciendum est ad annum. TRIBVNVM pl. & qui, si quis uellet prouinciarum tempora prorogare, posset intercessionem impedire. RVFIO nosfer & hic est C. Sempronius Rufus, de quo in epist. fam. ep. 8. l. 8. quem hic per iocum appella: Rufionem, quoniam autem cum Vestorio nescio quid ei erat controuersiae, arbitrum statuerant Ciceronem, ut cognosceret. deinde, cum Sempronius se a Vestorio uideret obseruari, ( obseruabat autem Vestorius, ut, si Ciceronem Sempronius adijleret, statim & ipse accurreret, transigendaq. controuersiae arbitrum moneret: quod Rufio nolebat, ut qui se non bonam habere causam intelligeret ) hominem stratagematae fefellit: nam ad Ciceronem non accessit, hunc Cicero gratissimum sibi fecisse dicit, quod de controuersia audiri noluerit, id est, quod ad se arbitrum non accesserit, ut de controuersia, quam habebat cum Vestorio, transigeret, in quo quasi gratiam referre Ciceroni pro accepto beneficio uisus est, quod cum audiendi molestia liberauerit. Hic Rufio per iocum a Cicerone uocatur Vestorianus ep. 14. l. 14. ob insignem, & diurnam cum Vestorio controuersiam. TAM longe & Baulis in Cumanum, Baulis enim habuisse uillam Hortensium, constat ex Varrone, lib. III. de re rustica, etiam ex Academicis. HORTENSIVS & hic non hominem, sed dignitatem indicat. AGENTEM aliquid & ementem, aut uendentem, ut in emporio. E PANSAE nulla & Caualcantis liber, Epense uilla, corrupte, sed unde facile possit erui uera lectio. Bessarionis, Expense sua uilla, ut aut legi possit, Exiens e sua uilla; aut, quo modo ego correxi Caualcantis librum seuius, E Pansae uilla. NUM quid uellem, & num quid sibi mandarem, proficiscens in prouinciam. INGENTIS molestiae, & prouincialis. ALTORVM & quibus prouinciarum administratio, quo longior, eo, rapinarum spe, gratior. DE auctoritate perscripta, & Senatus auctoritas quid sit, aperendum est. Cum aliquid senatorum maior pars decreuerat, S. C. scribebatur, nisi tribunus pl. aliquis intercederet. intercedente, S. C. non erat, sed scribebatur tamen, quod senatus eo die statuisset, eaq. Perscripta auctoritas dicebatur. Ergo, cum senatus decreuisset, M. Marcello consule referente, ut Caesari Gallias obtinenti ante tempus succederetur, itemq. ne absentis ratio comitijs consularibus haberetur, intercesserunt tribuni pl. itaque S. C. non est factum, sed auctoritas perscripta. Hac de re legendus Dio lib. XLII. & quae in Commentario in familiares Ciceronis epistolas diximus. IVSSOS IV. uiros creare & ut, cum essent municipiorum erat, non coloniarum, magistratus, ut Romae consules, ( ep. XI. l. X. ) id erat inducere paulatim eos in iura ciuium Romanorum, ut & suffragij ferendi, & petendi honores facultatem, Latinis colonis negatam, municipijs, & Romanis colonijs concessam, adipiscerentur, semper enim Caesar, quod e Suetonio quoque constat, id spectauit, ut Transpadani, id est Latinae coloniae, ciuitate donarentur, ut qui etiam Nouum Comum Romanam coloniam consul miserit. De transpadanis autem cum a senatu numquam impetrasset, postea, rerum potitus, effecit, ut apud Dionem scriptum est. Ideo infra ep. 7. l. 7. in partibus Caesaris Transpadanos numerat, & fam. l. 16. Gallias habet inimicissimas, praeter Transpadanos. Nec dubito M. Coelium in epist. ad Cic. de his comitijs, quibus, IV. uiros crearentur, significare, cum ait: Illi rumores de comitijs Transpadanorum Cumarum renus caluerunt. IVSSOS & a Caesare, cuius in prouincia erant coloniae Transpadanae. MAGNOS motus & quod auderet Caesar sine senatus auctoritate iura municipiorum, id est ciuitatis Romanae, municipijs dare. Ex Pompeio & cum quo Tarenti sermonem habuit de rep. ep. 5.

Cicero S. D. Attico. 3.

AD VI. id. Mai. ueni in Trebulanum ad Pontium. quarum alterae edictum P. Licinij habebant, ( erant autem nonis Mai. datae ) alterae rescriptae ad meas Minturnenses. quam uereor, ne quid fuerit *αποδελος* in ijs, quas non accepi, quibus rescribi uis. Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuis operam mihi dat egregiam. Iam deest, quid scribam, & licet. Beneuolenti cogitabam hodie, nostra continentia, & diligentia faciemus satis. A Pontio, ex Trebulano, ad V. id. Mai.

## EXPLANATIO

QVID de ijs cogites, & quando, & quid futurum putes de ijs rumoribus, & quando futurum. EDICTVM P. Licinij & edictum prouinciale, ut edictum Asiaticum Q. Mucij, ep. I. l. 6. Ex ijs edictis Cicero, quidquid utile prouinciae putaret, in suum edictum transferbat. DIONYSIVS & Ciceronum puerorum magister, qui & ipse cum pueris in prouinciam proficiscebatur. NICANOR & Attici feruus, ep. 2. l. 6. CONTINENTIA, & diligentia & in administranda prouincia. A PONTIO, & cum essem apud Pontium.

Cicero







nem, aut uoluntatem nostram sit, (puta, de non dando supplemento, aut de proroganda prouincia) nihil persuadeat. Ceperis, autem ex ingenio legimus, non, Ceteris, mutatione fere nulla: & de pro de e, qui etror etiam est in uulgatis libris, ex antiquarum notarum ignoratione, & litterarum similitudine ortus. **Q**UOD cum Scrofa, & subaudi, locutus de illo, quod Cherippus de me dixit. Scrofa autem, Tremelliorum cognomen. **M**INVS uergendi & C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius legati Ciceronis in prouincia fuerunt: sed Pontinius honoris gradu praestantior: nam & praetor fuerat, & triumphauerat. Videatur igitur Atticus hoc scripsisse: debere Ciceronem, si Pontinius ante Kal. Iun. Brundisij futurus sit, eo comite contentum esse, & minus urgere Anneium, ac Tullium: qui deinde suo commodo ad eum, uel in Graecia, uel in Ciliciam ire possent. nam, si dignitas in comitatu quaeretur, Pontinij maior, quam ceterorum. **A**NNIUS, & Tullius & legatos suos significat, sed nominat Anneium ep. 15. 1. 15. fam. **R**ECTE scribis & scripserat Atticus: quoniam Brundisij ante Kalendas Iunias Pontinius legatus fururus esset, ut inde in prouinciam profecturus transjiceret; non fuisse causam, cur Cicero reliquos legatos urgeret, Anneium, & Tullium quamquam, cum in epist. fam. legatur Anneius, pro Anneius; necesse est alterutrum esse mendosum. **D**E Sicinio & hunc puto peritum fuisse in conscribendis edictis prouincialibus. **N**E illa exceptio & exceptionem quandam dixerat Sicinius in edicto sibi placere: quae Ciceroni suspecta erat, ne forte in amicum negotiatorem, aut publicanum, cum damno incurreret. **Q**UINQVE praefectus, & uide ep. 7. **D**E Oppio & uide epist. 1. **Q**UONIAM Philotimum habes & libertum Terentiae, qui te huius oneris parte leuabit. **C**OGNOSCE rationem & uide, quantum debeam. **E**T, ut agam amplius, & ut uehementius a te contentam. Deinde intulit, Si me amas. **P**ROFICISCARIS & ex urbe. ep. 4. **P**AENE praeteriti. & paene ad eam partem non rescripti, in qua chartam scribis tibi deesse. **M**E A cautio & mea interest cauere, ne tibi charta desit. **D**U CENTOS & festertios nummos ad emendam chartam. sume de meo ducentos; ut posthac longiores a te litteras accipiam, quibus & de meis, & de publicis rebus certior fiam. **V**ELLET & a te quaerere.

Cicero S. D. Attico.

5.

**P**LANE deest, quod scribam. nam nec, quid mande, habeo; nihil enim praetermissum est: nec, quid narrem; noui enim nihil: nec iocandi locus est: ita me multa sollicitant. tantum tamen scito, idibus Mai. nos Venusia mane proficiscentes, has dedisse. eo autem die credo aliquid actum in senatu. sequantur igitur nos tuae litterae, quibus non modo res omnes, sed etiam rumores cognoscamus. eas accipiemus Brundisij: ibi enim Pontinium ad eam diem, quam tu scripsisti, expecta-

re consilium est. Nos Tarenti quos cum Pompeio διαλογος de rep. habuerimus, ad te perscribemus. es id ipsum scire cupio, quod ad tempus recte ad te scribere possim, id est, quam diu Romae futurus sis; ut, antequo dem posthac litteras, sciam, aut ne dem frustra. Sed ante, quam proficiscare, utique explicatum sit illud, HS xx & dccc. hoc, uelim, in maximis rebus, & maxime necessarijs habeas; ut, quod auctore te uelle coepi, adiutore assequar. Vale.

## EXPLANATIO

**Q**UID narrem; noui enim nihil: & coniectura ducti, sic correximus. ueteres libri, Noui enim mihi. nostram correximus non dubito quin docti probent, eo magis, quod in epistola sequenti idem scribit: Nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandauit omnia, quae quidem, ut polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui. Tertii liber, Nec, quid narrem, noui. etenim mihi &c. **E**o autem die & na fere senatus nonis, idibus, Kalendis habebatur. HS xx & dccc. quae Caesari debemus, ep. 1. **Q**UOD auctore te uelle coepi, & Caesaris amicitiam auctore te sum amplexus. hinc illud ep. 5. 1. 4. Te auctore respicui. **A**D IUTORE & in soluenda pecunia. sic enim amicitia retinebitur.

Cicero S. D. Attico.

6.

**T**ARENTVM ueni ad xv. Kal. Iun. quod Pontinium staueram expectare, commodissimum duxi, dies eos, quoad ille ueniret, cum Pompeio consumere, eoq. magis, quod ei gratum esse id uidebam, qui etiam a me petierit, ut secum, & apud se essem quotidie: quod concessi libenter: multos enim eius praeclaros de rep. sermones accipiam: instruam etiam consilij idoneis ad hoc nostrum negotium. Sed ad te breuior iam in scribendo incipio fieri, dubitans, Romae ne sis, antequam profectus, quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius, quam committam, ut, tibi cum possint reddi a me litterae, non reddantur. nec tamen iam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandauit omnia, quae quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habebo noui. illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Caesaris nomine rogare, ut confectum reliquas. auide expecto tuas litteras, maxime, ut norim tempus profectiois tuae. Vale.

## EXPLANATIO

**C**VM Pompeio & quid agebat hoc tempore Pompeius Tarenti: ualetudini recuperandae operam dabat, cum grauissime prope urbem Neapolim laborasset, post tertium consulatum. Plutarchus, Cicero Tusc. 1. & hic







pecunia Philotimo uel sine usura reddita. R A T V M & certa cautio. In s i n o s & cum & ipse Cicero focus esset in bonis: ideo Philotimus focus: idq. confirmatur in extrema epistola, cum ait; Req. mea. S E R V A R E M V S & alius enim si emisset, recuperandi nulla Miloni spes esset: prorsus igitur perijissent ea bona. N I H I L nobis fuerat tanti. & hoc enim consilio emimus, ut id denique fieret, quod ipse Milo uel let. ut uero eius bona ipso inuito possideremus, nihil nobis fuit tanti. L E V I O R A & quia fortasse non sunt, ut scribuntur, nobis enim scribuntur saepe maiora. F I D E fama, req. mea & fide, quia promiserat Cicero, Philotimo, & quod ei Milo pro conseruatis bonis daret, cum sua bona recuperaret. F a m a : & quia turpe Ciceroni fuisset, non reddi Miloni sua bona, quae ipse a Philotimo emi uoluisset, ut aliquando redderentur, ideo dixit, Queri Milonem iniuriam meam. R e : & quod ipse Cicero focus esset in bonis: quod proxime demonstratum est in eo, Philotimus focus, & in eo, Ipsi nos.

Cicero. S. D. Attico. 9.

A C T I V M uenimus ad XVII. Kal. Quint. cum quidem & Coreyrae, & Sybotis muneribus tuis, quae & Areus, & meus amicis Eutychedes optare, & Philotimo nobis concesserant, epulati es semper Saliarem in modum. Aetio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissime nauigassimus: & Leuaten flectere, molestum uidebatur: aetuarijs autem munitis Patras accedere sine his impedimentis, non satis uisum est decorum. Ego, ut saepe tu me turrentem hortatus es, quotidie meditator: paecipio meis: faciam denique, ut summa modestia, & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus, uelim, quiescat, & fortuna nos iuuet: nostra praestabimus. Tu, quae so, quid agas, ubi quoque hoc tempore futurus

sis, quales res nostras Romae reliqueris, maxime de cxx, & de cccc, cura, ut sciamus, id unis diligenter literis datis, quae ad me utique perferatur, consequere. Illud tamen (quomodo nunc abes, cum id non agitur: auderis autem ad tempus, ut mihi scripsisti) memento curare per te, & per omnes nostros, in primis per Hortensium, ut annus noster maneat suo status, ne quid noui decernatur. hoc tibi ita mando, ut dubitemus, an etiam te rogem, ut pugnes, ut interkaletur: sed non audeo tibi omnia onera imponere: annum quidem utique teneto. Cicero meus, modestissimus, & suauissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, ut scis, dilexi, sed quotidie pluxis facio, & mebercule in primis, quod te amat, nec tui mentionem intermitti sinit. V. ale.

EXPLANATIO

M VNERIBVS tuis, & Attici res agebant Areus, & Eutychedes, liberi Coreyrae, & Sybotis: eius igitur nomine ad Ciceronem munera detulerunt. Concesserant, & Congesserant, corrige: aptius erit ad sententiam. Sic & Plautus in Trin. locutus est: Ego huc dona congesti. Et pro Plancio: Minturnenses C. Mario uaticum congesterunt. S A L I A R E M in modum, & copiose admodum, quales erant cenae Saliarum sacerdotum. S I N E his impedimentis, & quae scis me multa habere, & His, (ut est in Belsariensis libro) nemo non uidet esse rectius, quam his. S V M M A modestia, & summa abstinentia, & modestiam, & abstinentiam non sine causa coniunxit: quia multi, quod superbe & auare prouincias administrassent, condemnati. E X T R A O R D I N A R I V M & multis enim post consulatum annis in prouinciam proficisceretur: quod erat extraordinarium; cum alij statim post consulatum soletent. P A R T H V S, & Parthorum incursionem timet. e. p. xi. N O S T R A & nam, cum armis res geritur, fortuna dominatur, in pace autem, quae requiruntur, ea praestabo, modestiam, abstinentiam, & quae in nobis ipsis, non in fortuna, posita sunt. D E C X X, & de C C C C, & Caesaris, ut opinor, nomen intelligit, de quo supra, epist. i. 4. & 5. A N N V S noster maneat & quae nobis data est annua prouinciae administratio, ea ne prorogetur, sed eadem maneat. N E interkaletur, & nam interkalatio dies interponebat: ita, diebus inter positis, longior fiebat administratio prouinciarum. D I O N Y S I V M & hominem Graecum, pueri M. Ciceronis magistrum, ab Attico traditum.

Cicero S. D. Attico. 10.

V T Athenas ad xv. kal. Quint. ueneram, exspectabam ibi iam quartam diem Pontinium, neque de eius aduentu certi quidquam habebam: eram autem totus, crede mihi, tecum: & quamquam sine is per me ipse, tamen acrius, ueligijs tuis monitus, de te cogitabam, quid quaeris? non mebercule alius ullus sermo, nisi de te. sed tu aliquid de me ipso scire fortasse uis. haec sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut priuatim, nec in quemquam comitum, nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis, seruendum esse famae meae, belle adhuc hoc ani-

maduer sum, Graecorum laude, & multo sermone celebratur, quod superest, elaboratur in hoc a me, sicut tibi sensu placere. sed haec tum laudamus, cum erunt perorata. Reliqua sunt eiusmodi, ut meum consilium saepe reprehendam, quod non aliqua ratione ex hoc negotio emersem, o rem minime aptam meis moribus: o illum uerum, & dicitis, dices, quid adhuc? non dum enim in negotio uersaris, ne scio, & puto molestior a restare: sed haec ipsa sero quidem fronte, ut puto, & uolo, bellissime: sed angor intims sensibus: ita multa uel iracunde, uel insolenter, uel in omni genere stultitiae insulse, arro-

ganter



anter & dicuntur, & tacentur quotidie. quae, non quo te celem, non perscribo, sed quia *δοξολογία* sunt. itaque admirabere meam *βελτίονα*, cum salui redderimus: tanta mihi *μελέτη* huius uirtutis datur. Ergo haec quoque haecenus: eisi mihi nihil erat propositum ad scribendum; quia, quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule umquam tam diu ignarus rerum mearum suis quid de Caesaris, quid de Milonis nominibus actum sit, hac non modo nemo, sed ne rumor quidem quisquam; ut scirem, in rep. quid ageretur. quare, si quid erit, quod scias de ijs rebus, quas pu-

tabis scire me uelle, per mihi gratū erit, si id curaris ad me perferendum. Quid est praeterea? nihil sane, nisi illud: ualde me Athenae delectarunt: turbae dumtaxat? & urbis ornamentum, & hominum amores in te, in nos quadam beneuolentia, sed multum ea philosophia, *δύω*, *ἔγι χάρω*: siquidem est in Aristo, apud quem eram: nam Xenonem tuum, uel nostrum potius, Quinto concesseram: tamen propter uicinitatem totos dies simul eramus inuicem. Cum primum poteris, tua consilia ad me scribas; ut sciam; quid agas, ubi quoque, & maxime quando Romae futurus sis. Vale.

## EXPLANATIO

**XV. Kal.** & perspicue mendosum, ut in duabus, quae proxime sequuntur, epistolis apparet. **M**him igitur, **VII. Kal. PONTINIVM** & legatum. **VESTIGIIS tuis** & quia diu Atticus uixerat Athenis, multamq. & iucundam sui memoriam reliquerat. **COMITVM** & e cohorte ipsius. **LEGE Iulia** & cum lex Iulia concedat, ut accipiam, nihil tamen accipitur. **ep. I 5. AB hospite** & publice. n. hospitia magistratibus in prouincias proficiscētibz dabantur, cum hospes cuique suus assignaretur: sed Cicero sumpsum ubique fecit de suo, accipi ab hospitibus uetuit. **EX hoc negotio emerferim** & quod prouinciam non recusauerim. **ep. d. r. r. r.** & uerissimum est illud, Nemo artem, quam non nouerit, exerceat. Aristophanis uersus in Vespis. **QV ID adhuc?** & quid accidit adhuc, ut te prouincia offendat? **NE scio** & non fere quidquam accidit. **VT puto, & uultu** & placet, quod scriptum est in antiquo Bessarionis libro, **VT puto, & uolo.** **DICUNTUR, & tacentur** & a comitibus meis, ineptis hominibus: ut de uxore difficili dicere solemus, neque loqui, neque tacere, cum oporteat. *δοξολογία* sunt & non est, ut ea sedare possis, & tollere. *βελτίονα* & summam taciturnitatem, summam in ferendo, & dissimulando gratuitatem, & prudentiam, ep. 21. **HV IVS uirtutis** & quae est in ferendo, & dissimulando. **ERGO haec quoque haecenus?** ergo nihil addam: haec ipsa satis sint: ut in hoc quoque meam *βελτίονα* cognoscas. **QV ID de Caesaris** & pecuniam debuisse Caesari Ciceronem, supra diximus. **ep. I. DE Milonis** & Miloni Philotimum debuisse, diximus. **ep. 8. NON modo nemo, sed ne rumor quidem quisquam;** & antiquus liber: Non modo nemo ne roma quidem quisquam. Ex quo suspicari de mendo licet: eoq. magis, quod, Rumor quisquam, pro Rumor ullus, non omnino placet. **TURBAE dumtaxat?** & in Bessarionis antiquo libro, Vrbe: ut legi possit, Vrbs, quod tamen haud scio an maxime probem, cum intelligam, si, Vrbs, retineatur, superuacaneum illud uideri, Et urbis ornamentum: si quidem urbe ornamenta urbis continentur, ut ciuitate ciues. Placet igitur, & rectius uidetur, Turbae; hoc sensu: Athenae me delectarunt, hominum dumtaxat multitudo: immo & urbis species, atq. ornamentum, & amor in te ciuitatis, quadam in nos beneuolentia coniunctus, sed multum ea philosophia, quae sursum deorsum agitatur, Academia, inquam, leuis, & incerta, quae nihil affirmat. O Academiam, inquit infra, uolaticam, & sui similem, modo huc, modo illuc. **SI QV IDEM est in Aristo,** & quandoquidem eius philosophiae princeps est hospes meus Aristus, in libro de claris oratoribus, in extremo, Aristus, inquit, heres ueteris Academiae, hospes, & familiaris meus. **TVM, &** uidetur Xeno Attici res curasse. **ep. I 3. QVIN ceto concesseram:** & ut eius domi Quintus frater esset. **SIMVL eramus inuicem.** & amicus meus, Cofmus Gherius, Fanensis episcopus, doctissimus, & sanctissimus adolescens, quem nisi mors immatura praeripuisset, ueram antiquae uirtutis imaginem habituri fuimus, cum ego, Romam proficiscens, eius uisendi, ac salutandi causa, Fanum diuertissem, hunc locum ut ita corrigerem, admonuit. Cum ex eo quae fuissem, correctio illa esset ex ingenio, an ex libro scripto: uetustum librum Patauij se affirmauit uidisse ita scriptam. postea Caualeantis in antiquo libro, cuius mihi, Benedicto Accolto Cardinali commodante, ad paucos dies copia fuit, animaduerti esse, Eramus inuicem: nunc in Bessarionis exemplari plane uideo, nulla profus uarietate litterarum, Inuicem.

Cicero S. D. Attico 11.

**HV I,** toties ne me litteras dedisse Romam, cum ad te nulla darem, & at nero posthac frustra potius dabo, quam, si recte dari potuerim, committam, ut non dem. Ne prouincia nobis prorogetur. per fortunas, dum ades, quidquid prouideri potest, prouide. non dici potest, quam flagrem desiderio urbis, quam uix harum rerum insulsiatē feram. Marcellus sedendi comes; etsi ille magistratum non gesserit, erit tamen transtiberinus. ita mihi uidetur non minus stomachi nostro

Caesari fecisse. sed hoc ipse uiderit. Pompeius mihi quoque uidebatur, quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certe iturus. id ego minime probabam: qui quidem Theophani facile persuasi, nihil esse melius, quam illud, nusquam illum discedere. ergo Graecus incumbet. ualet autem auctoritas eius apud illum plurimum. Ego has prid. non. Quinti. proficiscens Athenis dedi, cum ibi decem ipsos fuisset dies. uenerat Pontinius. nam Cn. Volusius aderat quae flor. tuus



unus Tullius ab erat. ἑπαχρη. Rhodiorum, & dicota Mitylenaeorum habebam, & aliquid ἑπιχωρον. De Parthis erat silentium, quod superest, diu inuenit. Nos adhuc iter per Graeciam summa cum admiratione fecimus, nec mehercule habeo, quod adhuc quem accusam meorum, uidentur mihi nosse nos, nostram causam, & condicionem profectiois suae, plane seruiunt existimationi meae, quod superest, si uerum illud est, οἷα τ' αὖ δεσπονα, certe permanebunt, nihil n. a me fieri ita uidebūt, ut sibi sit delinquēdi locus: si id parū profuerit, fiet aliquid a nobis seuerius: nā adhuc lenitate dulces sumus; & ut spero, proficimus aliquantū. sed ego hanc, ut singuli dicunt, ἀνεξέλας in unū annū meditatus sum, proinde pugnae, si quid prorogatum sit, turpis inueniatur. Nūc redeo ad quae mihi mandas. In praefectis excusatio. ijs, quos uoles, deferto: non ero tam μετέωρος, quam in Appuleio fui. Xenonem tam diligo, quam tu: quod ipsum sentire certo scio. Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia posui: & hercule merito tuo feci, nam mihi is ter dixit, te scripsisse ad se, mihi

ex illius literis rem illam curae fuisse, quod ei pergratum erat, sed, cum Patro mecum egisset, ut peterem a uestro Ariopago, ὁ πῶ μνηστικὸν μὲν tollerent, quem Policharmo praetore fecerant: commodius uisum est & Xenoni, & post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, qui pridie, quam ego Athenas ueni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet, posse id sua uoluntate fieri, non enim dubitabat Xeno, quin ab Ariopaginis inuito Memmio impetrari non posset. Memmius autem aedificandi consilium abiecerat, sed erat Patroni iratus, itaque scripti ad eum accurate: cuius epistolae mihi ad te exemplum. Tu, uelim, Piliam meis uerbis consolare, indicabo enim tibi: tu illi nihil dixeris, accepi fasciculum, in quo erat epistola Piliae: abstuli, aperui, legi: ualde scripta est ἑν μὲν ἀδῶς. Brundisio quae tibi epistolae redditae sunt sine mea, tum uidelicet datae, cum ego me non belle haberem. nam illam ἡομερδῆσαι excusationem ne acceperis, Cura, ut omnia sciam, sed maxime, ut ualeas.

## EXPLANATIO

**M**ARCELLVS sedendi comes ꝛ placet doctissimi uiri coniectura, Caroli Sigonij, ut legatur: Marcellus foede in Comensi, subaudi, se gessit. Comensem enim, ut scripsit Appianus lib. 2. de bel. ci. in Caesaris contumeliam caedi M. Marcellus consul iusserat, ut ostenderet, eum ciuem Romanum non esse: contra legem Vatiniam, iussu Caesaris latam: ex qua lege Caesar, ut ait Strabo lib. 5. quinque milia hominum, ex quibus illustres quingentos Graecos, Comum deduxit, & Latij iure donauit, sicuti antea reliquos omnes Comenses, & colonias transpadanas Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, iure Latij donauerat. Ius autem Latij hoc erat, ut, qui annum magistratum gesserant, ciues Romani fierent: quod idem Appianus ostendit. ideo autem foede Marcellus, quia, licet magistratum Comensis ille in patria non gessisset, tamen, cum transpadanus esset, caedendus non fuit: quia Cn. Pompeius, Magni pater, transpadanos omnes sua lege ornauerat, ex quo Marcellus iniuriam facere uisus est non Caesari tantū, inimico suo, sed etiam amico suo Pompeio, contempta patris eius lege, ac uoluntate erga transpadanos omnes. Pompeium. n. Cicero significat, cum ait, Caesari nostro: quasi eodem nomine possent appellari, qui principatu pares essent. VARRONEM ꝛ qui scire poterat, cum & Pompeij familiarissimus, & eius in Hispaniae administratione legatus esset, non dum tamen profectus, sicuti nec ipse Pompeius. HISPANIAM ꝛ ut proconsul administraret. THEOPHANI ꝛ Mitylenaeo, liberto: (ut in oratione pro Balbo) cuius erat summa apud Pompeium auctoritas. NVSQVAM illum discedere ꝛ ut urbi, & reip. praesidio esset, si quis motus exoriretur. ep. 17. IPSOS ꝛ integros. Cn. Volusius aderat quae stor. ꝛ tres igitur quae stiores habuit Cicero, nam & de Mescinio, & de Coelio tum ex his epistolis, tum ex illis, quae familiares dicuntur, notum est. Opinor tamen duos dumtaxat eodem tempore fuisse, in dioecesebus tribus Asiaticis Mescinium, in reliquis quattuor Cn. Volusium; cui successerit Coelius, qui uenit in exitu anni, ut ep. 5. lib. 6. & ep. 19. lib. 2. fam. cum Volusius aliquam ob causam discessisset. ep. 3. lib. 6. TVVS ꝛ legatus mihi ab amico tuo Titinio datus: quem te rogante accepi. ep. 14. & 21. DICROTA ꝛ biremes, οἷα τ' αὖ δεσπονα, ꝛ adagium est, Catellam dominae similem esse. id si uerum est, possum de meis comitibus sperare, ut in hoc imperio se mihi similes praestent. VT singuli dicunt, ꝛ dicunt hanc abstinentiam non esse mihi familiarem, sed ad illam me composuisse per unum annum. EXCUSATIO. ꝛ excusa me, posthac deferto praefecturam, quibus uoles: non tergiuer labor, ut in Appuleio: statim sine ulla mora satisfaciam. epist. 21. PATRONEM, ꝛ philosophum Epicureum. BARONES ꝛ cum ioco dictum. nam Baro mulier philosophiae studiosa: molles autem, ut feminae, & dedit uoluptatibus Epicurei. REM illam curae fuisse. ꝛ uide epistolam, quae prima est lib. 13. fam. tum omnia patebunt. exulabat autem Memmius Athenis, de ambitu condemnatus, ad Q. fr. lib. 3. epist. 11. & Appianus lib. 11. EPISTOLA Piliae: ꝛ missa ad Ciceronem, ut is ad Atticum, Romam iam profectum, deferendam curaret, cū inter ipsos irent redirent frequentes tabellarij. ἡομερδῆσαι excusationem ꝛ legitimam, ac uiro dignam occupationum uidelicet. nam haec in ualitudinis mollior est, nec satis uiro digna: occupationum contra: quoniam agere uiro dignum est. NE acceperis, ꝛ neque enim occupatio ulla potest esse tanta, quae cursum officij nostri debeat interrumpere. eam igitur quia nostra respuit amicitia, tollamus, cum alijs potius utamur.



Cicero S. D. Attico 12.

**N**ECOTIVM magnum est navigare, atque id men-  
se Quint. sexto die Delum Athenis uenimus. pri-  
de non. Quint. a Piraeo ad Zostra, uento molesto,  
qui nos ibidem nonis tenuit. ad VIII. id. ab Ceo incun-  
de. inde Gyrum saeno uento, non aduerso: hinc Scy-  
rum, inde Delum, utroque citius, quam uellemus, cur-  
sum confecimus. iam nosli ἀσπαστα Rhodiorum. ni-  
hil, quod minus stultum ferre possit. itaque erat in ani-  
mo nihil festinare, Delo nec me mouere, nisi omnia  
ἀσπαστων iura uidissem. De Messalla ad te sta-  
tim, ut audiui, de Gyro dedi litteras, & id ipsum  
consilium nostrum etiam ad Hortensium: cui quidem  
ualde συννομιών. sed tuas de eius iudicij sermonibus,  
& mehercule omni de reip. statu litteras exspecto,  
προτιμὰς τῶν quidem scripta, ( quoniam meos cum

Thallumeto nostro peruolutas libros ) eiusmodi in-  
quam litteras, ex quibus ego, non quid fiat, ( nam id  
uel Helonius, uir gratissimus, potest efficere, cliens  
tuus ) sed quid futurum sit, sciam. Cum haec leges, ha-  
bebimus consules, omnia perspicere poteris, de Caesa-  
re, de Pompeio, de ipsis iudicijs. Nostra autem nego-  
tia, quoniam Romae commoraris, amabo te, explica.  
Cui rei fugerat me rescribere, de Strue salinarum  
plane rogo. De aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo,  
quo soles esse: quam ego cum mea sponte, tum tuis ser-  
monibus aestimo plurimi. ergo quid conficies. Praete-  
rea, si quid Philippus regauit; quod in tua re faceres;  
id uelim facias. Plura scribam ad te, cum constitero:  
nunc eram plane in medio mari. Vale.

EXPLANATIO

**N**ECOTIVM magnum 3 quo enim tempore satis commoda esse nauigatio consuevit, eo ipso acci-  
dit, ut incommodissime nauigare; qui sex diebus uix Athenis Delum peruenerit. Ad Ceo 3 om-  
nino pro, Ad, ueteres libri habent Ab, sed malo, Ad, ut absoluta maritimi cursus ratio constet, A Pei-  
raeo ad Zostra, a Zostra ad Ceo, inde ad Gyrum, a Gyro Scyrum, inde Delum, nam, si legas, Ab Ceo,  
discessus quidem apparebit, aduentus autem silebitur. placet igitur, Ad Ceo: ut sit nomen ex ijs, quae  
uariari casibus non solent. ἀσπαστων iura 3 placet ἀσπαστων, obseruationum a promontorijs. Vt  
audiui, 3 accusatum de ambitu post consulatum. Accusatus autem erat & ante, cum esset candida-  
tus. epist. 1. l. 3, ad Q. fratrem. Id ipsum consilium 3 quod ad te scripsi ut fieret, idem scripsi & ad Hor-  
tensium. Erat autem amicus Atticus Messallae, ut ep. 15. lib. 4. Hortensius etiam patronus. fam. ep. 2. & 4.  
18. Συνομιών, 3 condoluit, ob communis amici casum. MEOS 3 scriptos πρὸς τῆς πολιτείας. THAL-  
LYMETO 3 litteratus Attici seruus. HABEBIMVS consules. 3 iam erunt designati. IPSIS 3 quia iam  
de iudicio Messallae mentionem fecit, aut, quod post comitia plerumque crebra solerent fieri iudicia.

Cicero S. D. Attico. 13.

**E**PHESVM uenimus ad XI. kal. Sext. sexagesimo &  
quinto post pugnam Bouillam, nauigauimus sine ti-  
more, & sine nausea, sed tardius propter aptractorum  
Rhodiorum imbecillitatem. De concursu legationum,  
priuatorum, & de incredibili multitudine, quae mihi  
iam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi praesto  
fuit, aut audisse te puto, aut quid ad me attinet? ue-  
rum tamen decumanis uenisse cum imperio, Graeci  
quasi Epheso praetori se alacres obtulerunt. ex quo  
te intelligere certo scio, multorum amorum ostentatio-  
nes meas nunc in discrimen esse adductas. sed, ut spe-  
ro, utemur ea palacstra, quam a te didicimus; omni-  
busq. satisfaciemus; & eo facilius, quod in nostra  
provincia confectae sunt pactiones. Sed haecenus,  
praeserim cum cenanti mihi nunciaret Sextius, se  
de nocte proficisci. Tua negotia Ephesi curae mihi fue-  
runt: Thermostaque, tamen si ante aduentum meum li-  
bera isime erat pollicitus tuis omnibus, tamen Phi-

logenem, & Seium Rhodium, & Apollonicen-  
sem Xenonem commendauit. omnino omnia se fa-  
cturum recepit. Ego praeterea rationem Philogeni  
permutationis eius, quam tecum feci, edidi. Ergo  
haec quoque haecenus. redeo ad urbana. Per for-  
tunas, ( quoniam Romae manes ) primum illud prae-  
fulci, atque praemuni, quaeso, ut simus annui; ne  
interkaletur quidem: deinde exhauri mea mandata,  
maximeq. si quid potest, de illo domestico, scrupu-  
lum quem non ignoras; deinde de Caesare: cuius in  
cupiditatem te auctore incubui; nec me piget. & si  
intelligis, quam meum sit scire, & curare, quid in rep.  
fiat: fiat autem? immo uero etiam quid futurum sit,  
perscribe ad me omnia, sed diligentissime, in primisq.  
quid iudiciorum status aut factorum, aut futurorum  
etiam labore. De aqua, si curae est, si quid Philip-  
pus aget, animaduertas. Vale.

EXPLANATIO

**S**EXAGESIMO & quinto post pugnam Bouillam, cum de caede Clodij ad Bouillas facta non possit acci-  
pi, quae multis ante mensib. fuerat; libenter legerem, Septuagesimo & quinto, tot. n. dies a nonis Ma-  
R ijs,



ijs, quo die a Cicerone in provinciam proficiscente Atticus discessit, sic enim patebit rationem atten-  
te subducenti) ad x. Kal. Sextilis numerantur, & Attici discessum ideo pugnam opinor Bouillam appel-  
lari, quia, cum Ciceronem proficiscentem Bouillas usque profecutus esset, ulteriusq. progredi uellet,  
Cicero autem recufaret, or-um est inter eos quasi certamen humanitatis, aegreque discessus factus, hoc  
autem eo magis opinor, quia, simul eos in Tusculano fuisse, cum in prima huius libri epistola uideam,  
profecutum deinde Atticum usque ad Bouillas, facile mihi fit uerisimile. Ephesum igitur, inquit, ueni  
ad. xv. Kal. Sext. septuagesimo & quinto postquam a te discessi. **LEGATIONVM** & obuiam prodeun-  
tium, extra provinciae terminos, cuius initium fuit Laodicea, ep. 14. Vel legationes fuisse urbium Asiae,  
extra Ciceronis provinciam, quia in epist. sequenti, Nos, inquit, Asia accepit admirabiliter. **GRACI**  
& et si Ephesus in Ionia, & Ionia in Asia, Graeci tamen incolae dicebantur, quia Graeco sermone  
uterentur. **VERVM TAMEN decumanis** & sic & in Bellarionis libro, placeret, Verum tamen cum Roma-  
nus, ut hoc dicat, Graeci, qui Romanos magistratus odisse soliti sunt, quia praelati fasces quasi minari  
uidentur eorum libertati, me tamen cum imperio uenientem non minus laeti exceperunt, quam si Ephe-  
sus praetor, hoc est ex ipsis unus, essem. **OSTENTATIONES meas** & quem enim per multos annos me  
ostentaui, cum nunc re praestem necesse est, modestum, abstinentem, iustum. **VTEMVR ea palaestra** & ita  
me exercebo, ita geram, ut tu monuisti. **CONFECTAE pactiones** & huius anni, nam sequentis confect  
ipse: quod infra gloriatur, ep. 1. l. 6. **THERMOQUE**. & Q. Minucio Thero propraetori, Ioniae regen-  
ti, fam. ep. 18. l. 2. & 53. l. 13. Edidi. & cum ei tantumdem me dicerem redditurum, quantum a te acce-  
pisssem, ep. 13. **DE illo domestico**, & de filiae, opinor, intelligit matrimonio: de quo discedens Attico  
mandauerat, uide epist. 4. & in epist. fam. epist. 12. l. 3. **DE Caesare** & de HSxx & cco, quae Caesa-  
ri debita solui cupiebat, ep. 1. 5. & 9. **TE auctore** & uide ep. 5. l. 4. & 5. l. 5. **SI curae est** & si aestimas  
eem, quanti in sermonibus ostendisti, epist. xi.

Cicero S. D. Attico. 14.

**A**NTE, quam aliquo loco confedero, neque lon-  
gas a me, neque semper mea manu litteras ex-  
spectabis, cum autem erit spatium, utrumque praesta-  
bo, nunc iter conficiebamus aestiuosa, & puluerulenta  
uia: dederam Epheso pridie: has dedi Trallibus. In  
provincia mea fore me putabam Kal. Sext. ex ea die, si  
me amas, παραγγελλμα ενιαυσιον commoueto, tamen in-  
terea haec, quae uellem, mihi afferebantur: primum  
otium Parthicum, deinde confectae pactiones publica-  
norum, postremo seditio militum sedata ab Appio, si-  
stendumq. eis usque ad idus Quint. per solutum. Nos  
Asia accepit admirabiliter, aduentus noster ne num-  
mo quidem sumptui fuit. spero meos omnes seruire  
laudi meae: tamen magno timore sum: sed bene spera-  
mus. omnes iam nostri, praeter Tullium tuum, uene-  
runt. erat mihi in animo recta proficisci ad exerci-  
tum; aestiuos menses reliquos rei militari dare, hiber-  
nos iurisdictioni. Tu, uelim, si me nihilo minus no-  
sti curiosum in rep. quam te, scribas ad me omnia,  
quae sint, quae ue futura sint, nihil mihi gratius face-  
re potes: nisi tamen id erit mihi rarissimum, si, quae  
tibi mandauit, confeceris; in primis, quid illud ενδι-  
ουχοι: quo mihi scis nihil esse carius. Habes episto-  
lam plenam festinationis, & pulueris. reliquae sub-  
tiliores erunt. Vale.

## EXPLANATIO

**E**X ea die παραγγελλμα ενιαυσιον commoueto. & mandatum de annuo munere provinciali incipito cu-  
rare: ne scilicet mihi tempus prorogetur. Ex ea die, autem, quia fuisset absurdum agere de provin-  
cia non proroganda, ante quam in provinciam esset peruentum. **SEDITIO** & ideo facta, quia stipen-  
dium non persolueretur, puto esse eam seditionem, de qua epist. 6. l. 3. & 4. l. 15. fam. **APPIO**, & Aliam  
est ingressus, nec dum tamen peruenit in provinciam suam, eius initium Laodicea, urbs Phrygiae, quae  
regio est minoris Asiae. **TULLIUM tuum**, & ep. II. **REI militari** & non ut bellum gereret, sed ut rem  
militarem collocaret, fam. ep. 13. lib. 2. **IN primis, quid illud** & placet, in primisq. illud, significat, quod  
in proxima epist. dixit, Scrupulum quem ignoras; uidelicet de filia collocanda, **SVRTILIORES** &  
scriptae diligentius.

Cicero S. D. Attico 15.

**L**AODICEAM ueni pridie kal. Sext. ex hoc die  
clauum amouebis. nihil exoptatius aduentu  
meo, nihil carius. sed est incredibile, quam me ne-  
gorij taedeat. non habeat satis magnum campum ille  
tibi non ignotus cursus animi, & industriae meae?  
praeclara opera cesset? quippe ius Laodiceae me di-  
cere, cum Romae A. Plotius dicat? & cum exer-  
citur noster amicus habeat, tantum me nomen habe-  
re duarum legionum exsilium? denique hoc non de-  
sidero: lucem, forum, urbem, domum, uos deside-  
ro. sed feram, ut potero: si modo annuus, si pro-  
gatur, actum est. uerum perfacile restitui potest, in  
modo Romae sis. Quae, quid hic agam: ita uiuam,  
ut maximos sumptus facio, mirifice delector hoc in-  
stituto, admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis: ut  
uerear, ne illud, quod tecum permutaui, uersura mihi  
soluendum sit. Appij uulnera non refrico: sed appareb,  
nec oculi possunt. iter Laodicea faciebam ad 11  
non.



non. Sext. cum has litteras dabam, in castra Lycaoniam, inde ad Taurum cogitabam, ut cum Morphagene signis collatis, si possem, de seruo tuo deciderem. clittellae boui sunt impostae. plane non est nostrum onus: sed feremus, modo, si me amas, sin annuus. adsis tu ad tempus, ut senatum excites. mirifice sollicitus sum, quod iam diu ignota sunt mihi ista omnia. quare, ut ad

te ante scripsi, cum cetera, tum resp. cura, ut mihi nota sit. Plura scribam alias. trade tibi rardituro, sed dabam familiari homini, ac domestico, C. Andronico Puteolano. tu autem saepe dare tabellarijs publicanorum poteris, promagistris scripturae, & portus, & nostrarum dioecesium. Vale.

## EXPLANATIO

**EX** hoc die clauum animo uerbis. & hoc totum abest a Bessarionis & Tertij libris, & a duobus item antiquis, qui Romae sunt apud amicissimum meum. nec hercule, si tollitur, erit, quod in sententia desideremus. sin retinemus, legi poterit, Ex hoc die commouebo. ut sit, quod in proxima dixit, παραγγελια ενιαυσιον commoueto. & Ex hoc die, quia, si ageretur de prouincia non proroganda, antequam in prouinciam esset peruentum, absurdum, ac leue quiddam uideretur. erat autem Laodicea prouinciae Ciceronis prima ciuitas, nec tamen in Cilicia, sed in Asia: cuius tres διοικησεις sibi attributas esse, scribit ep. 67. l. 13. fam. **MAGNUM campum.** & hoc est, quod dicit in epist. ad M. Coelium: Totum negotium non est dignum uiribus nostris; qui maiora in rep. onera sustinere & possimus, & soleamus. **Ivs Laodiceae & c.** & nihil, inquit, inter me, & A. Plotium interest, nihil ego hic plus ago, quam Romae Plotius praetor. **NOSTER amicus.** & C. Cassius, ut epist. 18. qui, mihi dignitate non comparandus, tamen habet exercitum: ego duas tantum legiones, ac ne legiones quidem, nomen dum taxat legionum, tres enim cohortes aberant. epist. 6. lib. 3. fam. Alij Bibulum significari putant, sed is nondum uenerat in prouinciam. (ep. 18.) & iustior indignationis causa, si de Cassio accipiatur, nondum consulari, quaestoria tantum potestate ornato. **EXSILIUM** & tenuium, infirmarum: quod erant infrequentes. **DENIQUE.** & denique, etiam & si exercitum, & quae optari in prouincia possunt, omnia habeam; tamen haec non desidero. **Hoc instituo.** & ut de meo sumptus fiant, de alieno nihil sumatur. ep. 10. & 14. Quod tecum permutauit: quam a te pecuniam accepi, tuis procuratoribus hic reddendam. epist. 3. 3. **APPII uulnera.** & quae prouinciae imposuit illius auaritia. uide epist. 15. **In castra,** & ut rem militate constituerem. epist. 13. **LYCAONIAM** & de qua diximus initio huius libri. **CVM Morphagene** & latronum duce, ad quem fugitiuus Attici seruus confugerat. **PROMAGISTRIS scripturae, & portus, & nostrarum dioecesium.** & sic habent duo antiqui libri, Caualcantis, & Bessarionis. forte legendum, Et portus nostrarum dioecesium, ut est in Alberti Tertij antiquo libro: ut sit sensus: dare poteris tabellarijs publicanorum, & dare item poteris pro magistris scripturae, & portus nostrarum dioecesium. certe enim & scripturam, & portum intelligit intra ipsius dioeceses. ep. 10. lib. 11. & 7. lib. 14. & in orat. in Verrem. Quod si quis legat, Per magistris; subaudiatur, mihi reddendas in prouincia, ut tabellarij ad promagistros deferant, promagistri reddendas curent Ciceroni.

Cicero S. D. Attico. 16.

**ET** si in ipso itinere, & uia discedebant publicanorum tabellarij, & eramus in cursu: tamen surripendum aliq. quid putauit spatij, ne me immemorem mandari tui putares. itaque subsedi in ipsa uia, dum haec, quae longiorem desiderant orationem, summatim tibi prescriberem. Maxima expectatione in perditam, & plane euersam in perpetuum prouinciam nos uenisse scito pridie Kal. Sext. moratus triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade. audiuius nihil aliud, nisi impetrata επισημανσια soluere non posse: possessiones omnium uenditas: ciuitatum gemitus, ploratus, monstra quaedam non hominis, sed ferae nescio cuius immanis? quid quaeris, taedet omnium nos uitae. louantur tamen miserae ciuitates, quod nullus sit sumptus in nos, neque in legatos, neque in quaeSTOREM, neque in quemquam. scito, non modo nos senum, aut

quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem; nec, praeter quattuor lectos, & lectum, quemquam accipere quidquam; multis locis ne lectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque. itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex uicis, ex domibus omnibus, mehercule etiam, aduentu nostro reuiuiscunt iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis. itaque opinioniones omnium superant. Appius, ut audiuit nos uenire, in ultimam prouinciam se coniecit Tarsum usque. ibi forum agit. De Partho silentium est: sed tamen concisos equites nostros a barbaris nunciabant ij, qui ueniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in prouinciam suam accedere. id autem facere ob eam causam dicebat, quod tardius uellet decedere. Nos in castra properabamus, quae aberant bidui. Vale.



## EXPLANATIO

**I**N ipso itinere, & uia discedebant tabellarij. § maiorem festinationem tabellariorum ostendit, cum subiungit, Et uia est enim in uia, qui discedit, a loco ad locum iturus; est in itinere, non solum qui discedit, aut statim discessurus est, sed etiam qui subsideat in diuerforio, aut in hospicio, discessurus post aliquot horas, aut etiam post aliquot dies. itaque saepe ita loquimur, Longo itinere, difficili uia. Tabellarij igitur, Ciceronis litteras expectantes, non modo in itinere, sed in uia etiam erant, statim, acceptis litteris, discessuri. **PERDITAM** § uide ep. 1. l. 6. **IMPERATA** *ἑπιπέδασα* § imperatum ab Appio procos. tributum in singula capita. uide fam. ep. 8. l. 3. **NON HOMINIS** § ut, qui haec tam immania ediderit, non hominem, sed feram dicas fuisse. **OMNIUM NOS UITAE.** § reclus, Omnino uitae, putarem: ut de provincialibus, accipiatur. **LEGE IULIA** § legem de provincijs tulerat consul C. Iulius Caesar: de qua in epist. fam. epist. 17. l. 2. & in Pisonem. **ADVENTU NOSTRO.** § hic locus in impressis libris non recte distinctus. ego sic interpungo, Ex domibus mehercule etiam, aduentu nostro. reuultescunt iustitia &c. Reuultescere autem antiquum uerbum est: quod & hic aperte legitur in antiquis libris, & a Lucretio usurpatur. **FORVM agit.** § quod ne ab ijs quidem fieri solet, qui breui tempore sibi successum iri putant: eo minus ab Appio debebat, qui posset iam suspicari, sibi esse successum. ep. 6. l. 3. **PROVINCIAM suam** § Syriam. ep. 18. **IN castra** § ut aestiuos menses rei militari daremus. ep. 13.

Cicero S. D. Attico.

17.

**A**CCEPI Roma sine epistola tua fasciculum litterarum. in quo, si modo ualuisi, & Romae fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam. hanc epistolam dixi tui sedens in Rhoda, cum in castra proficiscerer, ab quibus aberam bidui. paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras: itaque eo me seruauit. Nos, tamen etsi hoc te ex alijs audire malo, sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam. id fit etiam legatorum, & tribunorum, & praefectorum diligentia: oēs mirifice *σοφιστοδωδωσιν* gloriae meae. Lepa noster mirificus est. Sed nunc propero. perscribam ad te paucis diebus omnia. Cicerones nostros Deiotarus filius, qui rex ab senatu appellatus est, secum in regnum. dum in aestiuis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus. Sextius ad me scripsit, quae tecum esset de mea domestica, & maxima cura locutus, & quid tibi esset uisum. amabo te, incumbe in eam rem, & ad me scribe, quid & possit, & tu censeas. Idem scripsit, Hortensium de roganda nostra provincia dixisse nescio quid mihi in Cumano, diligentissime, se, ut annui essemus, desensurum, receperat. si quidquam me amas, hunc locum ama. dici non potest, quam inuitus a uobis abstinet, & simul hanc gloriam iustitiae, & abstinentiae fore illustriorem spero, si cito decesserimus. id quod Scaeuolae contigit; qui solos nouem menses Asiae praefuit. Appius noster, cum me aduentare uideret, profectus est Tarsum usque Laodicea. ibi forum agit, cum ego sum in provincia. quam eius iniuriam non infector. satis enim habeo negotij in sanandis uulneribus, quae sunt imposita provinciae. quod, do operam, ut faciam quam minima illius contumelia. sed hoc Bruto nostro uelim dicas, illum fecisse non belle, qui aduentu meo, quam longissime potuerit, discesserit. Vale.

## EXPLANATIO

**PHILOTIMI** § qui tibi non dixit, esse, qui ad me proficisceretur. **PAUCIS DIEBUS HABEBAM** § aperta sententia. sed nonandum genus loquendi, Paucis diebus habebam, pro, Ad paucos dies habiturus eram. **TAMEN TSI** § sic locutus epist. ultima lib. IV. fam. & Q. Cic. de Petitione consulatus. **TRIBUNORVM,** § tribunorum mil. **LEPTA** § Q. Lepa, praefectus fabrum. fam. l. 3. ep. 7. **CICERONES** § filium, & fratris filium. **DOMESTICA,** & maxima cura § de collocanda filia. ep. 4. & 14. **BRUTO NOSTRO** § Appij genero. **PACORO,** § quem postea Ventidius cum uniuerso exercitu cecidit. Iustinus lib. 42. **ORODIS,** § Orodas, & hic, & infra, liber antiquus habet. **NONDVM** § cum tamen circiter idus Sext. ab Epheso nauibus in Syriam profectus esset, uentosq. secundos habuisset. ep. 3. l. 5. fam.

Cicero S. D. Attico.

18.

**Q**UAM uellem, Romae esses, si forte non es. nihil enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas litteras ad xiv. Kal. Sext. datas, in quibus scriptum esset, te in Epirum iturum circiter kal. Sext. sed, siue Romae es, siue in Epiro, Parthi Euphratē transierunt duce Pacoro, Orodis, Parthorum regis, filio, cum tuis reseruo copijs. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria. Cassius in opido Antiochiae cum omni exercitu

nos



nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra. hostis in Cybhestica, quae Syriae pars proxima est prouinciae meae. his de rebus scripsi ad senatum: quas litteras, si Romae es, uidebis, putes ne reddendas: & multa, immo omnia. quorum *κεφάλαιον*, ne quid inter caesa, & porrecta, ut aiunt, oneris mihi adatur, aut temporis. nobis enim, hac infirmitate exercituum, inopia sociorum, praesertim fidelium, certissimum subsidium est hiems. ea si uenerit, nec illi ante in meam prouinciam transferunt. unum uereor, ne senatus propter urbanarum rerum metum Pompeium nolit dimittere. quod si alium ad uer mittit, non laboro. nobis modo temporis ne quid prorogetur. Haec igitur, si Romae es, si abes, aut etiam si ades; haec negotia sic se habent. Statim animis; & quia consilijs, ut uidemur, bonis utimur, speramus etiam manu tuto confedimus. copioso a frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum locum, paruo exercitu, sed, ut spero, ad beneuolentiam erga nos consentiente: quem nos, Deiotari aduentum suis omnibus copijs, duplicaturi eramus. socijs multo fidelioribus utimur, quam quisquam usus esset: quibus incredibilis uidetur & nostra mansuetudo, & ab-

sinentia. delectus habetur ciuium Romanorum: frumentum ex agris in loca tuta comportatur. si fuerit occasio, manu; sin minus, locis nos defendemus. quare bono animo es. uideo enim te, & quasi coram adsis, ita cerno *συνάθειαν* amoris tui. sed te rogo, (si illo pacto fieri poterit) si integra in senatu nostra caussa ad Kal. Ian. manserit, ut Romae sis mense Ianuario. profectio nihil accipiam iniuriae, si tu aderis. amicos consules habemus, nostrum tribunum, pl. Furnum. uerū tua est opus assiduitate, prudentia, gratia. tempus est necessarium: sed turpe est, me pluribus uerbis agere tecum. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum: sed, si opus erit, deducuntur Rhodum. Tu, si es Romae; ut soles, diligentissime: sin in Epiro; mitte tamen ad nos de tuis aliquē tabellarium; ut & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quidq. acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti res ago, ut suam ipse non ageret, sed iam exhibeo pupillum, neque defendo: sunt enim negotia & lenta, & inania. faciam tamen satis, tibi quidem, cui difficilius est, quam ipsi: sed certe satisfaciam utrique. Vale.

## EXPLANATIO

CASSIUS & qui; Crasso a Parthis caeso, reliquias exercitus Antiochiam reduxerat. Et multa, & uidebis. INTER caesa, & porrecta, & in ipso articulo discessus mei. sumpta similitudine a Sacrificijs, cum inter caesa exta, & porrecta sinistri quid accideret, ne litari posset, sed instaurari sacrificium necesse esset. uerebatur Cicero, ne, quo tempore discessurus esset, eo tempore eiusmodi quid accideret, ne posset discedere. ONERIS & ut belli Parthici curam sustineret. TEMPORIS, & ut, etiam si ad Parthicum bellum alius mitteretur, ipse tamen ne discederet, qui uideretur socios posse in officio, fideq. continere. DIMITTERE, & ad bellum Parthicum mittere. COPIOSO a frumento, & in Bessarionis libro, Quo PISO a frumento. recte putamus, Copioso a frumento. figura eleganti, & usitata: ut Copioso referatur ad, Exercitū. itaq. olim coniectura ductus emendauit. Quod autem supra nonnullis in libris est, Et in Amanuto tuto confedimus, non, ut in nostris, Etiam manu: tuto confedimus: id perspicue falsum: cum nunc ad montem Taurum Cicero sit, ad Amanum autem post contendat: ut ep. 20. LOCVM & forte rectius, Loco. DEIOTARI & Galatae regis. epist. l. l. 6. DVPLICATVRI & ut essent omnino quattuor legiones. duas enim Cicero habuit. epist. l. 5. huius lib. & l. lib. 6. BONO animo es & Pro, Bono animo sis. antiqua locutione. SI integra in senatu & nisi in senatu ante Kalendas Ian. de prouincijs agatur. NIHIL accipiam iniuriae, & esset autem iniuria, si mihi prouinciae tempus prorogaretur. CONSVLES & qui Kal. Ian. magistratum inibunt, & ut moris est, eo die ad senatum referent de rep. Intelligit autem L. Paulum, & C. Marcellum, consules designatos. TRIBVNVM pl. & designatum: qui tum in magistratu nostra caussa impedit, ne quid noui de prouincijs decernatur. epist. 2. NECESSARIVM: & agitur de maxima mea re, maximeq. necessaria. SI opus erit, & si Parthus coget. tuto enim erunt in insula Rhodo. REM & uide epist. l. lib. VI. EXHIBEO pupillum, & Ariobarzanem regem, qui mihi a senatu in tutelam est traditus, exhibeo creditoribus, ut exigant ipsi. NEQVE defendo, & tutores enim dicti, quia pupillos tueantur, ego, inquit, iam non tuor; tutela me abdicō. ET lenta, & inania: & lenta, quae non explicantur, ad exitum non perducuntur; inania, quia, quod Ariobarzanes sperare possit, non est. eget enim, epist. l. l. 6.

Cicero S. D. Attico. 19.

OBSIGNARAM iam epistolam, eam, quam puto te modo perlegisse, scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum subito Appij tabellarius ad XI. Kal. Oct. septimo quadragesimo die Roma celeriter (hui tam longe) mihi tuas litteras reddidit. ex quibus non dubito, quin, ut Pompeium exspectaris, dum Arimino rediret, etiam in Epirum profectus sis: magisque uereor, ut scribis, ne in Epiro sollicitus sis non mi-

nus, quam nos hic sumus. De Atiliano nomine, scripsi ad Philotimum, ne appellaret Messallam. Itneris nostri famam ad te peruenisse laetor, magisq. laetabor, si reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi iam Romae iucundam esse gaudeo; eamque, quam numquam uidi, tamen & amo, & amabilem esse certo scio. Etiam atque etiam uale. De Patrone, & tuis condiscipulis, quae de Tarentinis in militia laborauit, ea tibi grata esse gaudeo.

Quod



Quod scribis libenter, repulsam tulisse eum, qui cum mihi in mentem non uenerat. non credo, inquis, ut li-  
 sororis tuae filij patruo certaret: magni amoris si- bet: sed plane gaudeo: quoniam τὸ ψυχαῖον interest  
 gnum: itaque me etiam admonuisti, ut gauderem. nam τοῦ φθονεῖν, Vale

## EXPLANATIO

**UT** Pompeium exspectaris, § Ut, ualet etiam si. & proxime, Etiam, est pro, Tamen, ut in. epist. fam. lib. 7. ep. 3. Ego cum meis, si quidquam nunc cuiuspiam est, etiam in meis esse malui. ARIMINO § ab exercitu. fam. ep. 3. l. 7. SOLICITVS sis § de rebus urbanis, ut nos hic de Parthis. MESSALLAM § qui pro Atilio promiserat. Er, Appellate, uerbum creditorum, appellare autem quo tempore de ambitu reus erat Messalla, hominis uidebatur de humanitate parum laborantis. ITINERIS nostri § dum in prouinciam proficiscitur. RELIQUA § postquam in prouinciam peruenit. IAM Romae § cum Romae es iam enim profectum Atticum in Epitum existimabat, & dixit, Iam, quasi paucis ante mensibus natam. Posset etiam sic, nisi repugnarent antiqui libri, Iam mire iucundam. Ea post uxor Agrippae fuit, eius, qui Pantheon, quod nunc quoque integrum magna cum admiratione spectatur, Romae condidit. QUAM numquam uidi, § Quamquam non uidi, ingeniosi homines legendum putant, placeret, si ueteres libri assentirentur. TVIS condiscipulis, § reliquis Epicureis: quorum philosophiae deditum Atticum fuisse, aut supra diximus, aut, quia notum est, omisimus. TARENTINIS § legendum, Parietinis, puto: de quibus & Patro, & reliqui Epicurei laborabant, ut sibi a Memmio concederetur. uide epist. 11. & fam. ep. 1. lib. 13. IN militia § suum in prouinciam iter Militiam appellat, quia cum agmine proficisceretur: ut epist. 2. l. 6. In hac peregrinatione, militia ue nostra saepe incensum ira uidi, saepe placatum, & epist. 4. lib. 6. QVOD scribis libenter, § quod scribis, libenter te scribere de repulsa, quam C. Hirtus tulit in aedilitatis petitione: agnosco amorem tuum, CVM sororis tuae filij patruo § mecum, qui sororis tuae filio patruus sum. περιπαρσις. Certaret § certare soleret, respexit enim ad certamen de auguratu: de quo fam. ep. 3. & 9. l. 8. MAGNI amoris § non sine ironia: quasi dicat: an hoc, te etiam non scribente, mihi dubium esse potuit? IN mentem non uenerat § iocatur, quia scripserat Atticus, Moneo te, ut gaudeas. uel. In mente non uenerat, ut de homine contemnendo. τὸ ψυχαῖον interest τὸ φθονεῖν § indignatio distat ab inuidia: indignari, & inuidere, non idem sunt. Responderet Cicero tacitae obiectioni. Gaudeo, inquit, nec tamen est, cur quisquam reprehendat. non enim, quia laetitiam capio ex Hirri repulsa, propterea, si aedilitatem is esset adeptus, inuiderem, sed indignarer potius. iure igitur gaudeo: quoniam ab indignatione, non ab inuidia, proficiscitur laetitia mea. contra uero, si quis eius ignominia, damno ue laetatur, cuius honoribus, aut commodis inuideret, non iure gaudet. Quid est autem, cur damnetur inuidia, excusetur indignatio? quia, cum utraque sit, ut ait Aristoteles Rheth. lib. 2. ἂν πη ταραχῶδης, καὶ εἰς ἀπραγίαν, idest molestia mentem perturbans ob secundum fortunam: tamen hoc differunt, quod indignatio gignitur ob secundam eius fortunam, qui dignus ea non sit; inuidia uero, non, dignus, indignus ue sit, spectat, sed aduersus parem, & similem commouetur. itaque semper in bonum uirum cadere uidetur indignatio, aegre ferentem, quod improbi ea consequatur, quae ad bonos deferri par sit; inuidia, non item. Recte igitur Cicero suam laetitiam ad indignationem, non ad inuidiam, refert: quod Hirrus, qui repulsam tulerat, secunda fortuna minime dignus esse uideatur.

Cicero S. D. Attico.

3.

**S**ATVRNALIBVS mane se mihi Pindentissae dediderunt. septimo, & quinquagesimo die, postquam oppugnare eos coepimus. qui (malum) isti Pindentissae? qui sunt? inquis: nomen audiui numquam. quid ego faciam? num potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere? hoc iam sic habeto, nec hoc exercitu hic tanta negotia geri potuisse: quae cognosce ἐν ἐπιτομῇ. sic enim concedis mihi proximis litteris. Ephesum ut uenerim, nosti; qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritate: qua nihil me umquam delectauit magis. inde opidis, ijs, quae erant, mirabiliter accepti, Laodiceam prid. Kal. Sex. uenimus. ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisq. uerbis omnes iniurias reuellimus superiores. quod \* Dein Apameae quinque dies morati, Symmadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconij decem fecimus. nihil ea iurisdictione aequalius, nihil lenius, nihil grauius. inde ad castra ueni ad VII. Kal. Sept. ad III. exercitum Iustrauum apud Iconium. ex his castris, cum graues de Parthis nuncijs ue-

nirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociae partem eam, quae Ciliciam attingit, eo consilio, ut Armenius Artauasdes, & ipsi Parthis Cappadocia se excludi putarent. cum dies quinque ad Cybistra Cappadociae castra habuissem, certior sum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociae longe abesse, Ciliciae magis imminere: itaque confestim iter in Ciliciam feci per Tauripylas: Tarsum ueni ad III. non. Oct. inde ad Amanum contendidi, qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. hic ad III. id. Oct. magnum numerum hostium caecidimus: castella munitissima, nocturno Pontinij aduentu, nostro matutino, cepimus, incendimus: imperatores appellati sumus: castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quae contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paullo melior, quam aut tu, aut ego. ibi dies quinque morati, direpto, & uastato Amano, inde discessimus. Interim (scis enim quaedam τρωικὰ δὲ τὰ κερὰ τοῦ πολέμου) rumore aduentus nostri, & Cassio,



Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, & Parthis timor iniectus est. itaque eos cedentes ab opido Cassius insecutus, rem bene gessit. qua in fuga, magna auctoritate, Osaces, dux Parthorum, uulnus accepit, eoq. interijt paucis post diebus. erat in Syria nostrum nomen in gratia. uenit interim Bibulus. credo, uoluit appellatione hac inani nobis esse par. in eodem Amano coepit laureolam in mustaceo quaerere. at ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, & reliquos cohortis eiusdem, & Sex. Lucillum, T. Gaij Caepionis, locupletis, & Splendidi hominis, filium, tribunum militum. sane plagam odiosam acceperat cum re, tum tempore. Nos Pindenisium, quod opidum munitissimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, (feri homines, & acres, & omnibus rebus ad defendendum parati) cinctissimum uallo, & fossa: aggere maximo, uineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittarijs, magno labore, apparatu, multis saucijs nostris, incolumi exercitu, negotium consecimus. hilara sane Saturnalia. militibus quoque, equis exceptis, reliquam praedam concessimus. mancipia ueniebant Saturnalibus tertijs. cum haec scribebam in tribunali, res erat ad HS CXX. hinc exercitum in hiberna agrimale pacati deducendum Quinto fratri dabam. ipse me Laodiceam recipiebam. Haec adhuc. sed ad praeterita reuertamur. Quod me maxime hortaris, & quod pluris est, quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino uo<sup>o</sup> μω satisfaciā: moriar, si quidquam fieri potest elegantius. nec tamen ego hanc continentiam appello, quae uirtus uoluptati resistere uidetur. ego in uita mea nulla unquam uoluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate. nec me tam fama, quae summa est, quam res ipsa, delectat. quid quaeris? fuit tanti: me ipse non noram: nec satis sciebam, quid in hoc genere facere possem: recte περιουσιμου. nihil est praeclarior. interim haec λαμπρά. Ariobarzanes opera mea uiuit, regnat. ἐν παροδῳ, consilio, & auctoritate, & quod insidiatoribus eius

ἀποδῶν me, non modo ἀδωροδῶντων praebui, regem, regnumq. seruaui. interea e Cappadocia ne pilum quidem: Brutum abiectum, quantum potui, excitauit: quem non minus amo, quam tu; paene dixi, quam te. atq. etiā spero toto anno imperij nostri teruncium sumptum in prouincia nullum fore. Habes omnia. nunc publice literas Romam mittere parabam. uberior es erunt, quam si ex Amano misissem. at te Romae nō fore? sed est totū, quid kal. Martij futurum sit. uereor enim, ne, cū de prouincia agatur, si Caesar resistet, nos retineamur. his tu si adesses, nihil timerem. Redeo ad urbana: quae ego diu ignorans, ex tuis iucundissimis litteris ad v. Kal. Ian. denique cognoui. eas diligentissime Philogenes, libertus tuus, curauit, perlonga, & non satis tuta uia, perferendas. nam, quas Lenij pueris scribis datas, non acceperam. Iucunde de Caesare, & quae senatus decreuit, & quae tu speras. quibus ille si cedit, salui sumus. Incendio Plactoriano quod Leius adustus est, minus moleste fero. Lucceius de Q. Cassio cur tam uobemens fuerit, & quid actum sit, auco scire. Ego, cum Laodiceam uenero, Quinto, sororis tuae filio, togam puram iubeor dare: cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxilijs magnis usus sum, ad me, ut scripsit, cum Ciceronibus Laodiceam uenturus erat. Tuas etiam Epiroticas exspecto litteras; ut habeam rationem non modo negotij, uerum etiam otij tui. Nicanor in officio est, & a me liberaliter tractatur: quem, ut puto, Romā cum litteris publicis mittam; ut & diligentius perferantur, & idem ad me certa de te, & a te referat. Alexis quod mihi toties salutem adscribit, est gratum: sed cur non suis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quaeritur χέρας. Sed haec haecenus. Cura, ut ualeas, et ut sciam, quando cogites Romam. etiam atque etiam uale. Tua, tuosq. Thermo, & praesens Ephesi diligentissime commendaram, & nunc per litteras: ipsumq. intellexi esse perstudiosum tui. Tu uelim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammenis, des operam, ut, quod tuo, meoq. beneficio puer habet, cures, ne qua ratione conuellatur. utrique nostrum exilium, tum mihi erit pergratum.

## EXPLANATIO

**S**ATURNALIBVS ? Saturnaliorum diem. xiv. Kal. Ian. fuisse, tradit Macrobius lib. i. **PINDENISIAE** ? infra Pindenisium opidum uocat, & fam. lib. 2. Apud Graecos tamen πένδιλιος. Nomen ? inauditum Romae. Sic in epist. ad Coelium: Pindenisium tantis opibus oppugnabam, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen opidi. **IIS**, quae erant, ? inter Ephesum, & Laodiceam. **PERILLVSTRES** fuimus ? Fuerunt, antiquus liber Bessarionis. **OMNES iniurias renellimus superiores** ? hoc puto dici: Quaecumque Appius uulnera imposuerat, omnia sanauimus. **QVOD** Dein ? Bessarionis liber, Quod idem quod idem. dein, ut fortasse repetitum sit, Quod idem, negligentia librarij. erit enim aperta sententia, si legatur, Quod idem dein Apameae &c. & patebit uerbum, Fecimus, referendum esse ad Reuellimus iniurias superiores. Cum haec iam diuulgassem, confirmari meam coniecturam Vrbinatis Ducis antiquo libro, significauit Gabriel Bartolucius, iuuenis ingeniosus, & bene moratus. **QVINQVE** dies ? aliter epist. 16. & fam. epist. 4. lib. 15. **IURISDICTIONE** ? Iconij tamen ius non dixit, ut ex ep. ad Catonem lib. 15. fam. cognoscitur. **AQVARYM** diuortio ? antiqui libri duo, In, praeponunt, ad sententiam nihil interest. Aquarum diuortio diuidi montes dicuntur, cum in eos imbres delapsi, quia consistere in fummo iugo non possunt, bifariam diuiduntur, & deorsum praecipitant. **Hoc** illud fam. epistola 10. lib. 2. Mons Amanus mihi cum Bibulo communis, diuisus aquarum diuortijs. Et Liuius libro xxxix. In iugo montis castra posuit ad aquarum diuortia. Iulius Frontinus in libro de qualitate agrorum Aquarum diuergia uocat, itemq. Aggenus Vrbeicus, & ubi hunc Frontini locum explanat, & in commentario libelli de controuersijs. **EA** ipsa, quae ? eo ipso in loco, ubi &c. fam. epist. 10. lib. 2. & 4. lib. 15. **IMPERATOR** haud paulo melior, quam aut tu, aut ego. ? eodem modo



modo Horatius Sar. 1. lib. 2. Me pedibus delectat claudere uerba, Lucili ritu, nostrū melioris utroque.  
**OSACES** & de hac Osacis nece, Cassijq. uictoria, Dio lib. xl. **APPELLATIONE** hac inani & imperato-  
 ria. nomen imperatoris concupiuit: quod nos, ut inane quippiam, nihili ducimus. **LAVREOLAM** in  
*mustaceo* & iocatur, quoniam mustaceis lauri folia subijcerentur, ut ait Plinius l. xv. Mustaceorum cō-  
 fectionem Cato docet in l. de re rust. Bibulus, triumphī cupiditate adductus, uoluit cum obscuris, pau-  
 cis, infirmis hostibus configere. **COHORTEM primam totam perdidit**, & cohortes in legione decem Ve-  
 getius nominat. Polybius nullam de cohortibus mentionem facit: de legione, & manipulis dumtaxat  
 loquitur. quod mirari aliquis possit. sed Polybius descriptionem legionis exponit; cohortes autem ab  
 imperatore interdum fiebant ex coniunctis manipulis rerum gerendarum causa. Porro, quin duas le-  
 giones habuerit Bibulus, minime dubito; cum & is esset consularis exercitus, & duas item Cicero legio-  
 nes, ut Plutarchus memoriae prodidit, in Ciliciam prouinciam duxerit; & maius Syriæ, cui Bibulus  
 praeerat, a finitimis Parthis periculum impendere uideretur. Primam cohortem uocat, quae tribus pri-  
 mis manipulis, id est, uno primo Hastatorum, altero primo Principum, tertio primo Triariorum con-  
 staret, ut enim numero manipuli, sic numero cohortes, ex ijsdem manipulis factae, notabantur. Vege-  
 tius Primam nominat, quae numero militum, & dignitate praestaret: eamque constituit ex peditibus  
 ∞ cv. reliquas autem nouem ex dlv. ut omnino essent peditum sex millia centum, mutata pro-  
 fus militiae ratione, auctoq. numero militum in singulis legionibus. nam Polybius neque plures quatuor  
 tuor millibus ducentis in legione numerat; & cum ex ijs triginta manipulos faciat, denos e quolibet  
 militum genere, singulos cuiusque generis eodem semper numero, id est Hastatorum cxx, Principum  
 item cxx, Triariorum lx; rationem non inuenio, qua potuerint in una cohorte ∞ cv milites  
 conscribi. quamquam, ut dixi iam, cohortes Polybius numquam nominat, manipulos tantum descri-  
 bit, & uicitur his nominibus, τὰς μαθημένα, quae Latine dici uidentur, Ordo, Signum. addit etiam, σπείρα,  
 parum proprie: nam apud Latinos Cohors est, non manipulus. uerum cohortes multis ante Poly-  
 bium aetatibus fuisse, Lilius docet: Varro etiam ita ex manipulis copulari cohortem dixit, ut in uilla  
 ex pluribus testis coniungitur, ac quiddam sit unum. Omnium autem cohortium primam ceteris for-  
 titudine praestitisse crediderim. nam, licet omnes decem cohortes ex quattuor militum generibus, e Ve-  
 lites, Hastatis, Principibus, Triarijs, constarent, ternis manipulis cuique cohorti attributis: (uelites en-  
 im neque proprios habebant manipulos, neque centuriones, neque signa, uerum ad singulos Hastato-  
 rum, Principum, Triariorum manipulos adiungebantur) tamen haud omnes Hastatos, Principes ue-  
 usu militari, & uiribus excelluisse uerisimile uidetur, nam, si non omnes Hastatorum, ut Principum cen-  
 turiones honore pares erant, sed alij alijs praestabant, quod infra docebitur: sequitur, ut nec omnes om-  
 nium manipulorum milites uirtute pares fuerint, exceptis fortasse Triarijs: quorum si centuriones  
 pariter Primipili uocabantur: (quod ideo facile arbitror, quia nec usquam primi, secundi, tertij, quarti  
 pili, uel reliquorum mentio fit; & unamquamque Triariorum partem Primum pilum esse dictum, as-  
 serit Lilius lib. iix.) consentaneum uidetur, eandem de omnium Triariorum robore opinionem fuisse.  
 Itaque fortissimos Hastatorum, & Principum, praeter Triarios, qui fortitudine pares omnes habe-  
 bantur, in primo manipulo delectos esse arbitror; qui primam cohortem constituerent; post eos, qui  
 secundam; deinde, qui tertiam; eodemq. modo usque ad decimam, habita semper in hoc ordine uirtu-  
 tis ratione. quo plus detrimenti Bibulum accepisse, perdita cohorte prima tota, Cicero significat. In  
 uerbo autem, Perdidit, magis indicatur ducis culpa, quam si dixisset, Amisit. perdimus enim uitio no-  
 stro, amittimus etiam alieno. Coelius hac de re, Amisit, dixit, epistola 6. lib. i ix. Bibulus in Amano  
 nescio quid cohorticularum amisit. Vfus est leniore uerbo, quam Cicero, ambitione scilicet minus im-  
 peditus. **CENTURIONEMQ. primipili** & uide Aldi filij scholia in Sallustij Ingurtham. **NOBILEM**  
*sui generis* & non familiae suae nobilem, sed nobilem inter Centuriones Triariorum, qui ceteris Hastato-  
 rum, & Principum Centurionibus nobiliores erant, uel nobilem inter omnes plane Centuriones, qui  
 ceteris militibus uirtute praestabant. **ELEVTHEROCLICVM** & liberum: cuius incolae ne regibus qui-  
 dem umquam paruissent. uide fam. epist. 4. lib. xv. **TERTIIS** & triduum igitur Saturnalia celebraban-  
 tur Ciceronis aetate, qua de re Macrobius plura. **AD HS CXX** & mancipiorum, quae iam auctione  
 uenerant, pretium erat aureorum 3600. **LIGURINO momo** & momo satisfacere quam non facile  
 fit, uel prouerbium declarat, in rebus difficillimis usurpatum. & puto M. Catonem intelligi, feuerissi-  
 mum hominem, cui satisfacere magni negotij fuit, usque eo, ut sua morositate, & sibi, & reip. pernicio-  
 sas excitarit inimicitias. recte igitur Cato momus, Ligurinus cur, compertum mihi nondum est. potest  
 tamen ἀφελῶς esse scriptum: ut uere Ligurinus aliquis fuerit maledicentissimus. **ELEGANTIUS** & ea  
 parte, in qua scribis de Ligurino momo. **Nec tamen ego, &c.** & uenusta sententia. Continentia, in  
 quit, uirtus est, uoluptati contraria: sed, cum ego ex hac integritate, abstinentiaq. mea tantam capiam  
 uoluptatem, quantam antea numquam; continentiam non uocabo, quae uoluptati resistit; integritatem  
 potius dicam, aut quiduis aliud. **FVI tanti** & tanta in me fuit, me ipso insciente, integritas, & absti-  
 nentia. Περυστομου. & intumescio, effero me, ut a quosdam, uerbo tamen, quod putem, inusitato, dedu-  
 catur. **ARIOBARZANES** & in Cappadocia tres Ariobarzanes regnasse, postea redactam in prouinciae  
 formam, a Strabone didicimus. **OPERA mea uiuit** & hoc exponit multis uerbis in ep. ad senatum lib.  
 15. fam. ἐν παρόδῳ, &c. & in cursu: quasi enim praeteriens, & alias res agens, belli Parthici cura occu-  
 patus, ἐν παρόδῳ regem Ariobarzanem, praesentibus insidijs circumuentum, nec opinantem li-  
 berari. **CONSILIO** & quia consilij mei fuit, ut triduum illud, dum in castris ad Cybistra moror,



in magno officio ponerem, quodq. senatus ad me de Ariobarzane scripsisset, id ad ipsum deferrem. AUCTORITATE quia mei praesidij spe, insidias ij patefecerunt, qui ante meum aduentum, periculi metu, occultauerant. fam. l. 15. ep. 2. & 4. ΑΠΡΟΒΑΙΤΟΥ me quod tantum abest, ut me regis Ariobarzani insidiatores muneribus corruperint, ut ijs ne accedere quidem ad me, aut alloqui licuerit. ergo, praeter confitium, atque auctoritatem, etiam integritas in me fuit. NE PILUM QUIDEM quod mirificae fuit abstinentiae, cum regem Cappadociae seruasset, ex eius regno ne pilum quidem auferre. BRVTVM abiectionem excitauit quod hoc dicit: Rem Bruti desperatam restitui, quia rex, mihi tanto beneficio deuinctus, pecuniam Bruto debitam, quam soluisset numquam, me contentente soluturum se promisit, epist. 1. & 3. 1. 6. EST totum quod in hoc omnia sunt. sic locutus est epist. 4. l. 15. fam. KAL. Martij quod quo die de provincijs ad senatum ex S. C. referent noui consules, L. Paullus, C. Marcellus, epist. 8. lib. 8. & 10. ibidem. RESISTET quod si Caesaris amici repugnabunt, ne successor ei mittatur; uereor, ne sit eadem prouinciarum omnium condicio, iraq. nec de successore mihi mittendo agatur, epist. 6. l. 8. IVCVNDE de Caesare, quod grata mihi sunt, quae de Caesare scribis a senatu decreta. Intelligit S. C. Marcello consule referente factum: quo senatus uoluntas aperte significabatur de successore Caesari mittendo, ep. 8. l. 7. fam. QVAE TU SPERAS quod Caesarem senatus uoluntati cessurum, prouinciam successoris traditurum. SALVI sumus quod de prouincia, ita ut cupimus, decedemus, annuo imperio terminato. INCENDIO Plaetoriano quod grauius fero de incesa Plaetorij domo: sed eo minus molestum est, quod adusta simul est propinqua Leij domus, hominis non amici. Aut sic. Eo minus moleste fero Plaetorium condemnatum, quod ex appendice iudicij Plaetoriani uocatus est Leius in iudicium, quo ea pecunia peruenerit: ut Rabirius ex damnatione Gabini. Sic & Luuius lib. xxix. Serius, inquit, ei triumphandi causa fuit, ne, P. Terentio Cui leone praetore, causam lege Petilia diceret, & incendio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret. LVCCEIUS de Q. Cassio quod Q. Cassio Longino, qui anno sequenti tribunus pl. cum Antonio collega ad Caesarem profectus, propentum ad civile bellum impulit, contentio igitur inter Lucceium, & Cassium, cum alter Pompeij, alter Caesari faueret. TOGAM puram quod uirilem togam; quam fumebar praetexta deposita, anno xiv. finito, ep. 1. lib. 6. IUBEOR quod a fratre meo, sororis tuae uiro, ep. 1. l. 6. MODERABOR quod ut minus modesto, minus continenti: qualem se postea Quinctus filius magis quotidie praestitit. UT habeam rationem quod ut ex tuis, quae sit negotij, atque etiam otij tui ratio, cognoscam; ut mihi rationem reddas & negotij, & otij tui. ALEXIS quod Attici seruus amanuensis, ep. 2. lib. 7. ADSCRIBIT quod in litteris tuis, ab ipso scriptis. CVR non suis litteris, &c. quod cur non litteras ipse ad me mittit, sicuti amanuensis meus Tiro ad te mittit? QVAERITVR Κερας. quod do operam, ut cornicini Phemio cornu, quale scribis, inueniam, ep. 1. lib. 6. TVO, meoq. beneficio quod cum uterque puero fortasse tutor esset. CONVELLATVR quod eripiatur.

## Cicero S. D. Attico. 21.

TE in Epirum saluum uenisse, & ut scribis, ex sententia nauigasse, uehementer gaudeo: non esse Romae meo tempore per necessario, sub moleste fero, hoc me tamen consolator, quod non spero te istuc iucunde hiemare, & libenter requiescere. Cassius, frater Q. Cassij, familiaris tui, prudentiores illas litteras miserat, de quibus tu ex me requiris, quid sibi uoluerint, quam eas, quas postea misit, quibus per se scribit confectum esse Parthicum bellum, recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli aduentum, sed nullo nostro Ενεσηματι. bodie uero hiemant in Cyrhestica, maximumq. bellum impendet, nam & Orodis, regis Parthorum, filius in prouincia nostra est: nec dubitat Deiotarus, cuius filio pacta est Artauasdis filia, ex quo sciri potest, quin cum omnibus copijs ipse prima aestate Euphratem transiturus sit, quo autem die Cassij litterae uictrices in senatu recitatae sunt, id est, non. Oct. eodem meae tumultum nunciante. Axius noster aut nostras auctoritatis plenas fuisse; illis negat credendum. Bibuli nondum erant allatae: quas certo scio plenas timoris fore. Ex ijs rebus hoc uereor, ne, cum Pompeius propter metum rerum nouarum nusquam dimittatur, Caesari nullus honos a senatu habeatur; dum hic nodus expeditur, non putet senatus, nos ante, quam successum sit, oportere decedere nec in tanto motu rerum tantis provincijs singulos

legatos praeesse. hic, ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem suscinere possit, horreo, atque eo magis, quod tu abes, qui consilio, gratia, studio multis rebus occurreres. sed dices, me ipsum mihi sollicitudinem struere. cogor: & uelim ita sit: sed omnia metuo, etsi bellum ἀκροτελῆς τῶν ἔχει illa tua epistola, quam dedisti nauiseans Buthroto: TIBI, UT VIDEO, ET SPERO, NULLA AD DECEDENDVM MORAM. mallet, UT VIDEO: nihil opus fuit, UT SPERO. acceperam autem satis celeriter Iconij per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas. in his γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, si quid secus, te ad me fore uenturum. pungunt me dubitationes tuae. simul & uides, quas acceperim litteras. nam, quas Hemoni centurioni Scamulae ipse scribis te dedisse, non accepi. Lenij pueris te dedisse, saepe ad me scripseras. eas Laodiceae denique, cum eo uenisset, III. id. Febr. Lenius mihi reddidit, datas ad x. Kalend. Oct. Lenio tuas commendationes, & statim uerbis, & re aliquo tempore probabo. hae litterae cetera uetera habebant, unum hoc nouum, de Cibratis pantheris. multum te amo, quod respondisti. M. Octauio, te non putare: sed posthac omnia, quae certa non erunt, pro certo negato. nos enim & nostra sponte bene firmi,

S ne firmi,



ne firmi, & mehercule auctoritate tua inflammati uicinus omnes ( hoc tu ita reperies ) cum abstinentia, tum iustitia, facilitate, clementia. tave putes quidquam homines magis unquam esse miratos, quam uulturnum teruncium, me obtinente prouinciam, sumptus factum esse nec in remp. nec in quemquam meorum, praeterquam in L. Tullium legatum: is, ceteroqui abstimens, ( sed Iulia lege transita, semel tamen in diem, non, ut alij solebant, omnibus uicis: praeter eum semel, nemo accepit ) facit, ut mihi excipiens sit, cum teruncium nego sumptus factum, praeter eum accepit nemo, has a nostro Q. Titinio sordes accepimus. Ego, aestiuus confectis, Quinctum fratrem hibernis, & Ciliciae praefeci. Q. Volustum, tui Tiberij generum, certum hominem, sed mirifice abstinentem, nisi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset, ne ciues Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprum non licet. ipse in Asiam profectus sum Tarso nonis Ian. non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciae ciuitatum, maximeq. Tarsensium, pistica uero quam Taurum transgressus sum, mirifica expectatio Asiae nostrarum dioecesium; quae sex mensibus imperij mei nullas meas acceperat literas, numquam hospitem uiderat. illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quaestu. ciuitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprum talenta Attica cc. qua ex insula ( non *ἑκατόν*, sed uerissime loquor ) nummus nullus me obtinente erogabatur. ob haec beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi uerborum, decerni sino: statuas, eana, *ἡδίστα* prohibeo. nec sum in ulla alia re molestus ciuitatibus, sed fortasse tibi, qui haec praedicem de me. perfer, si me amas: tu enim me haec facere uoluisti. Iter igitur ita per Asiam feci, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quae tum erat in hac mea Asia, ( messis enim nulla fuerat ) mihi optanda fuerit. quacumque iter feci, nulla mi, nullo indicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatione perferi, ut Graeci, & ciues Romani, qui frumentum compreserant, magnum numerum populis pollicerentur. Idibus Febr. quo die has literas dedi, forum institueram agere Laodiceae Cibraticum, & Apamense: ex idibus Mart. ibidem Synnadenae, Pamphylium, cum Phemio disiectam *ἄγος* Aoniun; Iasricum: ex idibus Mai. in Ciliciam, ut ibi Iunius consumatur. uelim tranquille a Parthis. Quinctillis si erit, ut uolumus, in itinere est, per prouinciam redeuntibus, consumendus. uenimus enim in prouinciam, Laodiceam, Sulpicio, & Marcello cos. pridie kalend. Sext. inde nos oportet decedere ad iv. Kal. Sext. primum contendam a Quincto fratre, ut se praefici patiat: quod & illo, & me inuisissimo fiet: sed aliter honeste fieri non potest, praesertim cum, uirum optimum, Pontinum ne nunc quidem retinere possim, rapit enim hominem Postumius Romam, fortasse etiam Postumia. Habes consilia nostra: nunc cognosce de Bruto. Familiars habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiarum, ex Cypro, M. Scaptium, & P. Matinium; quos mihi maior em in modum commendauit. Matinium non noui. Scaptius ad me in castra uenit. pollicentur sibi uiraturum me, Bruti causa, ut ei Sa-

lamini pecuniam soluerent. egit gratias. praefecturam petiuit: negari me unquam negotianti dare: quod idem tibi ostenderam: Cn. Pompeio petenti probaram institutum meum: quid dicam, Torquato in Lentio tuo? nullis alijs, si praefectus uellet esse syngraphae causa, me curaturum, ut exigeret. gratias egit: discessit. Appius nos ter turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salamini coaceret, & eundem habuerat praefectum. uexabat Salaminius. ego equites ex Cypro decedere iussi. moleste tulit Scaptius. quid multa? ut ei fidem meam praestarem; cum ad me Salamini Tarsum uenissent, & una Scaptius, imperari, ut pecuniam soluerent. multa de syngrapha, de Scaptij iniurijs, negari me audire: hortatus sum, petiui etiam pro meis in ciuitatem beneficijs, ut negotium conficerent: denique dixi me coacturum. homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me soluere: quod enim praetori dare consuescent, quoniam ego non acceperam, se a me quodam modo dare; atque etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine, quam in uectigali praetorio. calaudauit homines. recte, inquit Scaptius: sed subducimus summam. interim, cum ego in edicto translatio centesimas me obseruaturum haberem, cum antocius anniuersario; ille ex syngrapha postulabat quaterianas. quid ais? inquam. postum ne contra meum edictum? at ille profert, S. C. Lentulo Philippiq. eos, ut, qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret. cohortui primo, etenim erat interitus ciuitatis. reperio duo S. C. isiam consulibus de eadem syngrapha. Salamini cum Romae uersuram facere uellent, non poterant; quod lex Gabinia uetabat. tum ij Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare uolebant, si sibi S. C. cauereetur. fit gratia Bruti S. C. ut ne ue Salaminijs, ne ue qui eis dedisset, fraudi esset. pecuniam numerarunt: & postea uenit in mentem feneneratoribus, nihil se inuare illud S. C. quod ex syngrapha ius dici lex Gabinia uetaret. tum fit S. C. ut ea syngrapha esset, quam ceterae, sed ut eodem. Cum haec disseruissem, seducit me Scaptius; ait se nihil contradicere; sed illos petere talenta cc. se se debere; ea se uelle accipere; debere autem illo paulo minus: rogat, ut eos ad cc. perducam. optime, inquam. uoco illos ad me, remoto Scaptio. quid nos? quantum, inquam. debetis? respondent, cxi. refero ad Scaptium. homo clamare. quid opus est? inquam. rationes conferatis. assidum: subducunt: ad minimum conuenit. illi se numerare uelle, urgere ut acciperet, Scaptius me rursus seducit: rogat, ut rem sic relinquam, dedi ueniam homini impudenter petenti, Graecis querentibus, ut in sano deponerent. postulantiibus, non concessi. clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centesimam cum anatoci mo contentus non esset: alij, nihil stultius. mihi autem impudens magis, quam stultus, uidebatur. nam aut, bono nomine, centesimis contentus erat; aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. Habes meam causam: quae si Bruto non probatur; ne scio, cur illum amemus: sed annuerculo eius certe probabitur, praesertim tunc S. C. modo factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimae perperno fenore dicerentur.







tum ad augendam laudem; ut si dicas, homo eruditus, sed eloquens in primis: aut pro, Sed, repono.  
 Et. *CIVES Romani pauci*, & cur non Cyprij simul & Romani? quia, cum Cyprij alios in iudicium uo-  
 cant, possunt de suo iure decedere, atque extra insulam ad eum, qui ius dicit, ire; cum uero uocantur ab  
 alijs, utuntur priuilegio suo, nec inuitos ex insula licet euocari. *ASIAE nostrarum dioecesium*, & non  
 Asiae uniuersae, sed tantum nostrarum in Asia dioecesium, id est trium, quae ipsi praeter consuetudi-  
 nem erant attributae. uide epist. 67. ad Seruiliu[m], lib. XIII. fam. *EANA* & sic duo antiqua exemplaria,  
 Caualcantis, & Bessarionis. ego; Fana: cum in libris antiquis E saepe repetiatur pro F, errorem crean-  
 te similitudine. Sententiam autem ipse confirmat in ep. 1. libri. 1. ad Quintum fratrem, cum pecunias  
 ad templum decretas non accepisse scribit. *Τέτραππα* & ne dicantur ei quadrigae aeneae, aut marmo-  
 race. *In hac mea Asia* & in hac parte Asiae, mei imperij quae est. *OPTANDA fuerit*. & nunc enim  
 apparet magis nostra abstinentia; qui iter per Asiam ita fecimus, ut ne in fame quidem alieno uti uo-  
 luerimus. ipsi de nostro sumptus omnes fecimus. *CIBYRATICVM*, & totus hic locus multis uerbis  
 explanatus a nobis initio huius libri. *CVM Phe[mio* & cum operam dabo, ut *Κέρας* Aonium Phe[mio  
 reperiatur. Aonium autem, quod Aonium regis cantōribus celebrata, ideoq. in ea Cornua praeclarissi-  
 ma. *ISAVRICVM* & non respicit *Κέρας*, sed Forum. Bessarionis liber non, Aonium, sed, Omnium.  
*CILICIAM* & ut ibi quoque forum ageret. uide, quae diximus initio huius libri. *SULPICIO & Mar-*  
*cello eos*. & consules hic esse adscriptos a Cicerone, credibile non est, quasi uero ita peregrinaretur At-  
 ticus in rebus Romanis, ut, qui essent eius anni consules, ignoraret, praesertim sex mensibus post, quam  
 magistratum inierant. glossa igitur sine dubio fuit. *AD IV. Kal. Sex.* & integer non erit annus, si  
 uenit pridie Kal. decedit ad. IV. probabilius igitur, *AD. III.* ut est ep. 2. & 3. l. 6. *PONTINIUM* & legati  
 meum, hominem praetorium. fam. ep. 15. l. 2. *POSTVMIA* & uel uxor Pontinij, uel amica. *PRAEFEC-*  
*TVRAM* & iuris dicendi. ep. 1. lib. 6. *NEGOTIANTI* & uide ep. 1. lib. 6. *TORQUATO in Lenio tuo* &  
 cui petenti, ut Lenio tuo praefecturam deferrem, negaui, quia Lenius negotiator. ep. 1. lib. 6. *SYNGRA-*  
*PHAE causa* & si praefectus ideo esse uellet, ut ea potestate nummos a Salaminij exprimeret; non esse,  
 cur praefecturam peteret: me enim curaturum, ut exigeret. *FIDEM meam* & ut, quod promiseram, re-  
 praestarem. *IN IURIIS* & equitibus Salaminios uexarat, supra ibidem, & ep. 1. l. 6. *MEIS in ciuitatem*  
*beneficij* & quia non accepissem, quot praetori dare consueissent: & quia Scaptij equites ante certam  
 diem ex insula decedere iussissem. ep. 1. lib. 6. *PRAETORI* & proconsuli: antiquo more, cum omnes  
 magistratus, quibus pareret exercitus, Praetor appellabantur. Sic in *Verre* lib. III. Cohorti praetoriae,  
 pro, comitibus consularibus. Praesuerant autem Cypro insulae, ante Ciceronem, proconsules duo, P. Li-  
 tulus triennium, Ap. Claudius biennium. *VECTIGALI* & a me remisso. *TRANSLATIO* & in suum  
 enim edictum ex aliorum edictis, qui Ciliciam administrauerant, cum alia multa, tum caput de cente-  
 simis transfulerat. epist. 1. lib. 6. Centesimis autem maiores usuras pendi, L. Lucullus, Ciliciae proconsul,  
 primus uetuerat, qua de re, quod in eius uita Plutarchus tradidit, operae pretium est uidere. *CENTESI-*  
*MAS* & ut creditoribus centesimae usurae soluerentur, id est, duodeni annui pro centenis: quae grauissi-  
 ma erat omnium usurarum. uide ep. x. l. 1. *CVM anatocismi anniuersario* & quae est usurarum in singu-  
 los annos quasi regeneratio. accrescebat enim ad sortem id, quod, usurarum nomine, suo tempore dis-  
 solutum non erat. ita, aucta sorte, ad usuras quoque necessario fiebat accessus. atque haec est, quam Ci-  
 cero *παλιγγεστων* uocat: ego, dum rudibus serui, uerbum de uerbo exprimens, quasi regenerationem  
 conueri. Hoc mihi, in hac tertia commentariorum meorum editione, paullo fufius explicandum puta-  
 ui: quia quosdam animaduertentem, qui, propter eam, qua usus fueram, breuitatem, sententiam meam  
 minus peruidere potuissent, parum de ea considerate pronunciaffe. *QUATERNAS* & centesimas, cum  
 ego unas haberem in edicto. *Ex illa syngrapha* & quas Scaptius quaternas petebat: quas Gabinia lex, cen-  
 tesimis tantum concessis, exigi uetabat. Hic Cicero cohorrui primo, ueritus ne ex illo S. C. cogere-  
 tur ius dicere de quaternis centesimis: postea animaduertit, illud S. C. no[n] de quaternis exigendis tauere, sed  
 ne feneratoris sortem ipsam amitterent, quia contra legem Gabiniam dedissent; ne uel Salaminij multa-  
 rentur, qui contra eandem legem accepissent. lex autem Gabinia, usuram centesima grauiorem uetans,  
 non modo poenam irrogabat feneratoribus, & uersuram facientibus, a qua liberauit utrosque primum  
 S. C. sed uetabat quoque ius dici ex ea syngrapha, cui rei fuit remedio secundū S. C. iisdem consulibus fa-  
 ctum, ut ius diceretur ex illa syngrapha, qua Salaminij Scaptio debebant, itidem ut ex alijs, quib. cente-  
 simae tantum, non quaternae, deberentur, dici solebat. *FRAVDI esset* & ut neq. feneratoris creditam pe-  
 cuniam amitterent, neque Salaminij multarentur, quod contra legem uersuram fecissent. Fraudem pro  
 poena & damno uereres usurpabant. ep. 26. l. 7. fam. & Ulpianus. *NIHI se iurare illud* & S. C. iuuabat qui  
 dem, ne praeter amissam pecuniam etiam damnarentur, quod contra legem fecissent; sed non iuuabat,  
 ut sortem cum fenore quaternarum petere possent e syngrapha, quod nec alterum S. C. nominatim de-  
 dit, sed rectis uerbis, hoc modo; Ut ex ea syngrapha ita ius dici possit, sicuti ex ceteris: quod primum  
 S. C. non dederat. *UT & ea syngrapha* & corruptus locus; qui sanus id significaret, quod proxime osten-  
 dimus. *DEDI ueniam* & concessi: quod tamen non debebam. Salaminij enim, ut usura consisteret, aut  
 numerare uolebant, aut in fano deponere: sed ego Bruti causa in Scaptium propensior: itaque rem sic  
 feliqui. Illi, inquit, impudenter petenti ueniam dedi: Salaminis autem, quaerentibus id fieri, & ut in  
 fano deponerent postulantibus, non concessi. Sic l. 1. de of. Date nobis hanc ueniam, ut ea, quae senten-  
 tis de omni ratione dicendi, subtiliter persequamini, & Suetonius in Tiberio: Honorum facietatem,  
 ac re-



ac requiem laborum praetendens, com meatum perijt; neque aut matri, suppliciter precanti, aut uiti  
 co, deferi se etiam in senatu conquerenti, ueniam dedit. **STULTVS** & stultus non erat; quia rem sic relin-  
 quens nihil amittebat. neq. enim periclitaturus umquam de centesimis cum anatocismo, cum de his  
 intelligeret Salaminios numquam recusaturos, etiam usuram capiebat, quoniam in fano deposita pecu-  
 nia non esset, ergo in hoc minime stultus; impudens autem, quia quaternas, contra qua esset in edicto,  
 speraret. **BONO nomine** & honesto; quia centesimas cum anatocismo concedebat edictum. **NON bono** &  
 turpi; quia quaternae contra edictum. **CONTENTVS erat** & contentus erat futurus, cum quaternas pla-  
 ne desperasset, nam tum quidem aperte ostendebat, contentum se non esse, tacite igitur sic ratiocinabi-  
 tur Scaptius, ut contentus tum esset centesimis, cum de quaternis non succederet. secum ipse uidelicet  
 ita loquebatur: De quaternis non impetro: quid agam? rem sic relinquere, e re mea est: impetrabo for-  
 tasse ab alio proconsole, Bruti gratia, cuius commendatio apud hunc minus ualet, quam speraui: diffe-  
 ram, cum in dilatione spes sit, neque tamen damni quidquam; quoniam usura non consistit, pecunia no-  
 deposita. Hoc est, quod queritur Cicero, Salaminijs timens, ep. 1. lib. 6. Quid, inquit, ijs fiet, si huc Paul-  
 lus uenerit? qui erat Bruti affinis. **AVVNCVLO** & M. Catone, cuius uterina soror Bruti mater Seruilia.  
**PERPETVO fenore** & sine renouatione singulorum annorum, sine anatocismo, ne usurae usurarum solu-  
 rentur, sed centesimarum perpetuum esset fenus, alio praeterea fenore non adiecto. **DVCERENTVR** &  
 in suppuratione, inde Subduco, & rationes subducere. **QVIO intersit** & quid lucri creditoribus fiat ex hoc  
 S. C. **δὲ τοῦ ἀπέργον** & quasi praeter propositum, interponam hoc de Luceio, ep. 8. lib. 3. **Q. fr. His decre-  
 tis** & quae pro creditoribus fiunt, quibus decretis tribunus pl. aliquis excitabitur ad legem de nouis ta-  
 bulis ferendam, quia senatus uoluntatem animaduertit in creditores esse propensorem. **C. IULIUS** &  
 C. Caesar in consulatu. **CVM dieculam dixerit** & malo, Duxerit. ut diem Caesar solutionis produxerit,  
 qui consultum debitoribus uellet. Puto etiam, pro Deduceret, legendum Duceret, lib. 1. Acad. in extre-  
 mo. Dieculam autem potius, quam diem: quia parua res quae uidebatur, summum detrimentum attu-  
 lit reip. Vel: Dieculam dixerit: dieculam, idest tempus, interponi, aequum esse dixerit. est enim hic con-  
 tracta Ciceronis oratio: itaq. infert: Numquam resp. plus. **PLVS** & tulit mali, perspicuum est subaudiri.  
**MEDITARE** & ut defendas. **INTEGRAM rem** & nihil enim a me factum est contra Scaptii uoluntatem: sic  
 reliqui: quod ille me rogauit, ep. 21. **DE ἐνδομῶ χρο** & de filia collocanda, uide epist. 14. **POSTVMIAE filiae**  
 & c. & mallem, Filio: ut Postumiae filium generum prober: quoniam Pontidia, de alio locuta, certi nihil  
 afferebat, ep. 1. lib. 6. **TAVRVS** & quem tabellarij, ex Cilicia Romam euntes, transirent, necesse erat. Quin-  
 ctus autem Cicero, Ciliciae praefectus, trans Taurum: Marcus in Asia, cis Taurum, ut mittere tabella-  
 rios Romam posset. **FVLCIO** & ut tuis ne desit, ep. 13. & 20. **VALEIUM** & Attici puto debitorem. **QVO**  
 die mysteria & in quem diem incidant mysteria, nam interkalatio ordinem dierum mutabat, sed Atticus,  
 qui Roma propius abesset, interkalationis dies, & dies item reliquos certius nosse poterat, ep. 20.

o.  
b  
n  
i.  
a.  
as  
o  
m  
o.  
is  
io  
fi.  
t.  
7.  
ti.  
m  
fi  
ti  
re  
3  
ta  
le,  
re  
m  
es  
e,  
Lé  
m  
e-  
il,  
s  
ff  
u-  
if-  
i-  
m  
a-  
m  
en  
as  
d  
s  
n  
fa  
e  
o  
il  
y  
e  
n  
o  
t  
c  
t  
n  
hi

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





IN · EPISTOLARVM  
M · TVLLII · CICERONIS

D  
T · POMPONIVM · ATTICVM

LIBRVM · VI.

PAVLLI · MANVTII  
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



**A**CCEPI tuas litteras ad quin-  
tū termilia Laodiceae, quas  
legi libentissime, plenissimas  
amoris, humanitatis, officij, di-  
ligentiae. ijs igitur responde-  
bo: sic enim postulas: nec oix-  
yovlar meam instituas, sed or-  
dinem conservabo tuum. Re-  
centissime a Cybistris te meas

litteras habere ais, ad x. kal. Oct. datas: & scire vis, tuas ego quas acceperim, omnes fere, quas commemoras, praeter eas, quas scribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundisio datas. quare non oixeru tua industria, quod vereris, sed praeclare ponitur; siquidem id egisti, ut ego delectarer. nam nulla re sum delectatus magis. Quod meam Caθv riva in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo, uehementer gaudeo, ac putaram secus. Appius enim ad me ex itinere bis, ter ue o r e μ e i μ o i p o u s litteras miserat, quod quaedam a se constituta rescinderem, ut si medicus, cum aegrotus alij medico traditus sit, irasci uelit ei medico, qui sibi successerit, si, quae ipse in curando constituerit, mutet ille: sic Appius, cum eθ a p a p e r e o s provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit eneθam, o p o s a v a r e p o u i m y eam a me non libenter uidet, sed modo succenset, modo gratias agit. nihil enim a me fit cum ulla illius contumelia, tantummodo dissimilitudo meae rationis offendit hominem. quid enim potest esse tam dissimile, quam, illo imperante, exhaustam esse sumptibus, & iacturis provinciam;

nobis eam obtinentibus, nummum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publice? Quid dicam de illius praefectis? comitibus? legatis etiam de rapinis? de libidibus? de contumelijs? nunc autem domus mhercule nulla tanto consilio, aut tanta disciplina gubernatur, aut tam modesta est, quam nostra tota provincia. hanc non nulli amici Appij ridicule interpretantur: qui me iccirco putent bene audire uelle, ut ille male audiatur; & recte facere non meae laudie, sed illius contumeliae causa, sin Appius, ut Bruii litterae, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit: non moleste fero: sed tamen eo ipso die, quo haec ante lucē scribebā, cogitabā eius multa, iniq. cōstituta, & acta, tollere. Nūc uenio ad Brutum: quem ego omni studio, te auctore, sum complexus. quem etiam amare coeperam: sed; dico: reuocavi me, ne te offenderem. noli enim putare, me quidquam maluisse, quam ut mandatis satisfacere, nec ulla de re plus laborasse. mandatorum autem mihi libellum dedit, ijsdemq. de rebus tu mecum egeras. omnia sum diligentissime persecutus. primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta, quae mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum rex fuit, per bono loco res fuit; post a Pompeij procuratoribus sexcentis premi coeptus. Pompeius autem cum ob ceteras causas plus potest unus, quam ceteri omnes, tum quod putatur ad bellum Parthicum esse uenturus. & tamen sic nunc soluitur, tricesimo quoque die talenta Attica xxxiiii, & hoc ex tributis: nec id satis efficitur in usuram menstruam, sed Cnaeus noster clemenser id fert: sorte caret: usura, nec ea solida, contentus est. alij neque